6

41860

IGNATII GERVASJ
A MONTEFALISCO
MEDICI ROMANI

DE USU FRIGIDAE
IN HAEMOPTYSIM ET QUODCUMQUE SANGUINIS PROFLUVIUM
MECHANICO PHYSICA DISSERTATIO

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum

D. JANUARIUM
DE SIMONE
UTRIUSQUE SIGNATURAE REFERENDARIUM &c.



ROMAE MDCCLVI.
EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME

DOMINE.



IU mihi cogitandum non fuit, PRAESUL ORNATISSIME, *cui maximè Libellum hunc ſubſecivis horis elucubratum deberem nuncupare: Vetus enim obſervantia in Te mea non ſemel expoſtu-*

lare visa est, ut obstricti animi luculenter aliqua ex me prodiret significatio, quò sub tua, quâ tantopere gaudeo, laetorque, clientelâ esse me cuique innotesceret. Rem sanè Medico propriam publici juris facio, hanc Tibi do, consecroque. Illam, quantula sit, non gloriae cupidus pertractandam suscepi, sed eo sum consilio aggressus, ut medicam nimirum Spartam nactus, eam pro mea, tenui licèt, virili tamen parte Medicus adornem. In morbos Medici pugnamus, humanaeque valetudinis excubamus praesidio: ad pluteum paramus arma, quorum ad Lectum in promptu sit usus. Cujus verò remedii ope,

ejus-

ejuſdemque admovendi oeconomiâ morbi victor ſaepe Medicus depugnavit, id profectò ſi evulget, beneficii veriùs, quàm jactantiae genus dixeris. Hoc de Me judicium a Te, Praesul optime, *ferendum fore non opto, confido potiùs.* Tanta in Te *eſt Animi magnitudo, tanta in re qualibet dijudicanda ingenii facilitas, atque perſpicacia? Quem verò Mortalium ad ſe non rapiat eximius ille Virtutum tuarum, ſplendor, quas rerum quilibet aeſtimator ingenuus unquam non deſinit admirari, quas Vir quilibet frugi, atque honeſtus ſummis, iiſque meritis, non ceſſat laudibus extollere? Ut cauſas e-*

nimvero Patrocinii tui comparandi publicè, apertèque teſtarer, utinam liceret mihi in his recenſendis paullulum immorari, & diu caeteroquin laetari jucundâ earumdem recordatione? Sed vereor ne, dum beneficio humanitatis tuae fruor ampliſſimo, leges innatae Animi tui moderationi praeſcriptas videar imprudens offendere. Quae quidem niſi me, licèt invitum, a laudibus tuis perſequendis potiſſimùm revocaret, ſilentio praeterire non poſſem & Generis Nobilitatem, & Majorum tuorum Gloriam. Commemorem aſſiduum illud, ac vehemens Studium, quo priuſquam ex ephebis excederes

apud

apud Faliſcam Urbem (*quae mihi Dei beneficio & Patria obtigit, & politiorum Studiorum nutrix*) in illo tunc florentiſſimo Barbadiceo Collegio, ac Seminario *bonis artibus, Literiſque cultioribus ſub Clariſſimo Viro* Alexandro Mazzinellio *ita operam navaſti, ut brevi multum profeceris, omneſque Socios longè anteiveris. Recenſerem Comitatem cum gravitate conjunctam, quâ ibidem omnium amorem Tibi feliciter conciliaſti, ſingularem Scientiam, miram dexteritatem, & invictam nulliſque laboribus unquam deterritam vigilantiam, quâ Romam reverſus* Patruumm tuum Nicolaum Roma-

NAE

NAE CURIAE PRAESULEM *ab innumeris, iisque gravissimis rerum gerendarum curis, quibus Ipse permultis in muneribus distinebatur, levasti. Nec omitterem diligentiam, assiduitatemque, quâ nunquam animo fractus ita Judicis modò partes obis, ut tota plaudat Curia, ita omnibus praesto esse soles, ut ne otium quidem unquam otiosum Tibi esse velis. Unde de Te id, quod de Catone Livius, praedicari jure quidem meritoque potest, natum nempe* ad id unum esse, quodcumque agas. *Sed quorsum ista quae Virtutis tuae indicia solida sunt, non privatis sed publicis innixa fundamentis in-*

cor-

corruptae fidei, nudaeque Veritatis? Non alio certè consilio nisi ut omnes intelligerent, cur Nomini tuo Exercitationum hunc mearum fructum inscribendum duxerim. Quum enim ingenui animi sit de iis benemereri velle, qui de nobis optimè meruerunt, pleno quodam quasi jure Tibi potissimùm consecrari debuerat. Sed haec mihi fortasse communia esse possunt cum aliis: multa praeterea extant, quae propria mea sunt, quaeque privatim impulere, ut Opusculum hoc Tibi publicè exhiberem. Sed ne singula dicendo prosequar, & patientiâ abutar tuâ, id unum patere delibare

me

me de ſingulari benevolentia, quâ amantiſſimum meum Fratrem Archipresbyterum Franciſcum *complexus fuiſti: nec deſinis in eo Vitae candorem, & Sacrarum rerum Eruditionem perhumaniter commemorare. Haec ſuſcepti a me conſilii cauſa. Nec pluribus* Te *morabor, ut munus hoc qualecumque benignus excipias; namque hoc etiam Tibi proprium eſt, ut ne rogari quidem ſubſtineas. Illud autem votis omnibus opto, ut diu medicâ immunis ab ope, multumque valeas, Meque tuâ pergas fovere* Gratiâ, *tueri* Patrocinio.

IMPRI-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriar. Conſtant. Vicesgerens.

APPROBATIO.

QUam de praeſtantiſſimo Frigidae in Haemoptyſi, caeteriſque ſiſtendis ſanguinis profluviis uſu exaravit Diſſertationem Cl. Ignatius Gervaſi, jubente Rm̃o Patre Joſepho Auguſtino Orſi, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, volens, libenſque perlegi. Nil in ea Orthodoxae Fidei repugnans, nil a bonis diſſonum moribus, ſed omnia tum rationi, tum experientiae a me pariter per Frigidam pluries inſtitutae feliciter hiſce in morbis, conſentanea deprehendi. Quare praelo dignam, in publicam Medentium utilitatem, jure, meritoque cenſeo. Nonis Sextilibus 1756.

Aurelius Franciſcus Ginanneſchi.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Rm̃i Patris Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici Ordinis Praedicatorum.

Bonus

Bonus Magister experientia est: Opus verò est & ipsum periculum facere; imperitia namque timoris causa est. Aretaeus Cappadox lib. 2. cap. 2. de morb. acut.

Occa-



Occasio scribendi, et in historiam Hippocratis quintam Epidemiorum quinto subcisiva enucleatio.

PErfunctum ex more triennali Medici aſſidentis munere in Noſocomio Sancti Spiritus in Saxia Anno MDCCXXIX. ſtatim inde egreſſum in Clinicum mercede conductum Civitas Nepeſina me excepit. Ibi, cum vacaret per otium, in id potiſſimùm omni curâ diligentiâque incumbere ſuggeſſit animus, ut recèns peracta Medicinae ſtudia cum Hippocratis Libris aut adamuſſim, aut quoad fieri poſſet: ad ingenii mei ſcilicet tenuitatem: conferre ſatagerem. Fateri quippe minimè pudet me uſque ab eo tempore nil aliud ex Hippocratis hauſiſſe Doctrina quàm quoſdam pro re nata opportunos Textus, quos, ut fit, ſcripto in Scholís didiceram a Praeceptoribus. Sed enimvero aegrè admodum mihi ferre videbar,

tot concisos Hippocratis sensus memoriae tradidisse, absque eoquod, ut dici solet, digitum ad fontem intenderim, & disjecto veluti intergerino pariete penitiora Divini Senis adhuc non ausus fuerim adire penetralia. Suspenso igitur super hac re non haesi animo, sed integro Hippocratis arrepto Volumine, per continuam hyemem illius lectioni me totum addixi. Quàm multa inibi solidae doctrinae semina, quàm nudam in aegris curandis, ac dignoscendis morbis curam, & solertiam animadverterim, praesentis non est instituti ea singillatim depromere. Unus tamen prae multis, ut verum fatear, inter tot descriptos a tanto Viro morborum exitus me admiratione defixum tenuit, Uxoris nimirum Gorgiae in Epidemiorum quinto felix relatus eventus.

Haec, ut cuilibet notum, cum quatuor annorum spatio imminutas foret passa menstruationes, vario licèt, in quamcumque partem se inclinasset, conflictaretur circa Uterum pulsatili gravativoque dolore, Foetum tamen concepit, quem nono elapso mense prosperè ac bene auspicatò emisit in lucem. Sed isthaec partus felicitas suas, ut fere contingit, non elusit aerumnas aut calamitates: modò siquidem vividi, modò concreti sanguinis correpta profluvio decem primis diebus in acutiorem incidit febrim, prae cujus calo-

lore: omnes caeteroquin exoſa cibos: ſiti vexabatur inexplebili. Tricoſis hiſce morbi perniciosioris incommodis nulla res magis quàm *Aqua frigidiſſima* videbatur conferre, *Vinum autem nequaquam*. Febrim interea excepit *Tumor non exiguus circa Faciem, Tibias, Pedes, & alterum Femur*: Alvus ubi primùm Foetu exonerata eſt, *aliqualem, ſed non omnimodam praeſetulit mollitiem*; flexilem tamen tunc prorſus ſe reddidit, cùm quadraginta jam elapſis diebus informem carnem cum foetida Lymphae portione foras ejecit. His ſuperatis priſtinae aerumnoſa mulier reddita eſt ſanitati.

Relata iſthaec Hiſtoriae ſimpliciſſimae narratio ex ubere meſſe paucas decerpſiſſe ſpicas ſuffecit commoditatem, quas publicae ventilationi exponere minimè piguit, dummodo ex iis farina potiùs nonnullarum animadverſionum, quàm inane gerrarum furfur rectâ judicii lance depromatur. Res agitur in praefata hiſtoria de Puerpera in eo certè poſitâ diſcriminis gradu, ut integrâ, prout ſuppetit ratio, per quatuor annos non conſtitiſſe valetudine putandum ſit. (*a*) Revincunt hoc imminutae ſuperiùs indicatae Menſtruationes: confirmant dolores & gravitatis ſenſus in quamcumque partem demiſſa mulier ſe conferret.

(*a*) Menſtruis retentis Mulierem cuilibet malo implicari facile eſt. *Galen. Lib. de Ven. ſect. adverſ. Eraſit.*

Nodus igitur difficultatis eò fortè collineat, ut aegritudinis genius, quo valetudinaria mulier afflictabatur, ad certam morbi ideam, ſive eſſentiam debeat congruenter traduci. Sic enim meliùs patebit, cur unico Frigidae remedio tam multis Hippocrates conſuluerit ſymptomatibus: ſicque minus futurum erit operoſum etiam pro quibuſdam aliis aegritudinibus ſpecie parum a relatis differentibus (quod unicum erit hujus Diſſertationis propoſitum) ſimile hoc medelae genus in uſum referre. Si animus tamen advertatur ad vires, quibus & copioſae ſanguinis jacturae, & quadragenariae acuti morbi diuturnitati vexata mulier eſt reluctata, temerariae forte non indulgebit licentiae quiſquis eidem bilioſo-ſanguineum vindicaverit temperamentum. Si minùs hoc a veritate diſſentit, nemo erit in medicis adeo vernilis aut illiberalis ingenii, qui inter multiplices cauſas, quibus Feminae a lunari penſo eximuntur, etiam ſanguinis copiam, ſeu Plethoram non reponat in cenſum imminutarum menſtruationum.

Hiſce igitur jactis animadverſionum momentis, Morbum, qui ad ultimum vitae diſcrimen relatam adduxerat mulierem, in contumaciorem traducendum eſſe Molae retentionem, homini non prorſus obeſo facile erit judicare. Verùm cum tanta Mali pernicies & ante praegnationem, & poſt Foetum emiſſum

trico-

tricosiori symptomatum congerie affatim stipata referatur ; unius profectò Hippocratis fuit dignum ingenio, ut uno, eoque simplicissimo remedio omnia sensim cohiberentur incommoda , praeceps morbi sedaretur immanitas , unoque denique Frigidae usu Aegrota infelix ab Orci faucibus eximeretur . In ibrida tamen tot ancipitum signorum voce , quâ malus aegritudinis genius tunc confusè loquebatur, dictat ratio, ad Vini praescriptionem debuisse meritò Hippocratem appellare: idque eo maximè , quòd restituendum sperans per spirituosius remedium Solidorum robur, ab immodico sanguinis profluvio caeteroquin amissum , faciliorem inde Molae haerescenti promoveret exitum , securius prostratae Feminae suppeditaret juvamen. Secùs autem rem contigisse sensit, quàm antea sibi forte persuaserat ; cum enim vires refecturus Puerperae , languore ultimo laboranti, Vinum alioquin porrectum *nequaquam profuisse* reapse advertisset ; ad aliud medelae genus , Vino prorsus oppositum, potiori jure, feliciorique auspicio opus habuit confugere. Pudet sed enim propriae hìc doctrinae immemorem tantum Virum arguere; si enim in quacumque aegritudinis curatione, ut origines attentiùs perpendamus , unde morbus quilibet oriatur, nos sollicitè admonuit ; reminisci necessariò debuit uterinae

toni-

tonicaeque Convulſionis, quâ valetudinaria mulier per quatuor annos in quamcumque partem prona ſe demitteret, corripi ſubitò conſueverat: quamque ab arteriarum uterinarum plenitudine fuiſſe jure meritoque productam, & *Menſtrua imminuta aut ſuppreſſa*, & reduces *dolores circa Uterum pulſatiles* apertiſſimè ſignificarunt. Si Hippocratem itaque plethoricam par eſt credere memoriâ repetiiſſe Convulſionem, quam nimio poſt Partum cruoris profluvio oportuit certè magna ex parte compeſci; reliquas profectò recèns à Partu inde ſubortas Nervorum diſtentiones, uti Tumores circa *Faciem*, *Tibias*, *&* *Femur*, necnon *&* (a) *tenſivam Uteri criſpationem*, quae Molae certò praepedire debebat exitum, non minori curâ ſtudioque ſolertiori neceſſe habuit quamocyſſimè reparare. Vinum ſed enim adhibuerat, quo aliàs nihil ſe profeciſſe ſincerè confitetur: a Solidorum itaque morboſa laxitate Molae in Utero adhaeſionem minimè fuiſſe repetendam adhibiti inutilitas remedii ſufficienter oſtendit. Accedit praeterea, quod Vinum in iis rerum adjunctis ciere & augere poterat acrioribus ſulphureiſque, quibus conſtat, particulis majorem rarefactionis motum tam corpuſculis aëreis,

(a) *At venter* poſt primum puerum *modicè emollitus eſt, valde autem non conſidit, ſed durior erat, dolor autem non aderat.* Hip.Epid.V.Mercuriale Interprete.

aëreis, vi Convulsionis in unum praeternaturaliter coactis, quàm ipsimet alchalinae mordacique Acrimoniae, quae ob oleagineorum principiorum a nimia sanguinis effusione jacturam prae reliquis debebat necessario praedominari. Ergo ad Frigidam fuit jure provocandum, cujus vi, debitâ Solidis restitutâ laxitate, expeditior retentae Molae pateret egressus, & excluso caeteroquin extraneo corpore, citiùs disrupta arteriarum extrema cessarent a cruoris effusione, faciliùs in seipsa resilirent, feliciùs tandem obducerentur.

Reliquum nunc foret, ut servato Historiae ordine de falsi ac veri Foetus Formatione aliquid potissimùm studeremus proferre; verùm cum hanc provinciam jampridem recentiori politiorique calamo cordatiores Medici occupaverint adornandam, missam idcirco eam facimus, ne res nos longiùs abducat ab illorum examine, quae alioquin hujus Dissertationis basis futura erunt ac fundamentum.

Quod ergo Convulsionibus diu perpessis subduxit Mulierem, fuit inopinae Praegnationis verè felix, sed aequè ominosus eventus; per novem quippe mensium spatium licèt praefata Mulier nullo ampliùs reduce vexata referatur convulsivo pathemate, dura tamen maturi Partus necessitas morbum portendit ancipitem, salutem conjecit in dis-

cri-

crimen inauſpicatum. Quid rei tunc forte, contigerit, diſtinctè non liquet, liquet tantùm, prolixiorem a Foetu emiſſo malorum Iliadem ſubito irrupiſſe in Puerperam aerumnoſam. Sic partim a violentiori pariendi niſu, partim a nimia Foetus Molaeque jam auctae compreſſione, Sanguineis Vaſis diſruptis, copioſior Partum excepit haemorrhagia. Proviſum hoc pacto eſt cauſis *à nimia plenitudine* fixam uteri *Convulſionem* producentibus; ſed minùs alteri eſt forte conſultum Extremo, quod nervinas *Diſtentiones ab Inanitione nimia* rurſus conſuevit progignere. Vaſa quippe ſanguifera ob Molae praeſentiam diſtracta quò magis a perenni haemorrhagia contentis Liquidis deplebantur, eò minorem eorumdem Fluidorum offendebant reſiſtentiam: quare decuſſo ſic aequilibrio, non difficili ſanè negotio potuerunt in arctum coarctari, in ſeipſa contrahi, & ſic etiam muſculares fibras ad tenſivas, & flatulentas impellere elevationes. Mirari hinc igitur minimè ſubeſt, ſi ubi major facta ſit dictorum fluidorum jactura, ibi ſequior, ac contumacior ſequuta ſit tenſiva Contractio, uti ratione viciniae contigit, potiſſimum circa Femur, Tibias, & Pedes, & maximè circa Faciem, licèt pars haec ab uterinis vaſis longè prae reliquis disjungatur.

Ovo prognatam eodem par eſt credere

Fe-

Febrim inde erupiſſe in perniciem miſerae Feminae tot curis catenatiſque circumvallatae laboribus ; quippe cum ſanguis effluxu nimio parte ſenſim orbaretur blandiore, atque liquidiore, quidquid reliquum ſuperfuit in ſucculento ac robuſto fortaſſe Corpore, facilè ceſſit in majorem acrimoniam, & hinc in motum Fluidorum aeſtuoſum, cui Febris acutioris titulus potuit juremerito adjudicari. Res aptè quadrat in Eudemi Lariſſei haemorrhoidali fluxu laborantis eventum, cui *cum exanguis exiſteret*, *Bilis commota eſt*, *&* *Febris corripuit*, ipſomet Hippocrate referente in Libro Epidemiorum quinto.

Sed jam manum de tabula, quoniam nec vacat, nec lubet ire per ſingula. Illa tantummodo ex relata Hiſtoria ſatis ſint praelibaſſe, quae nimirum argumento propoſito nonnulla valeant adjicere momenta rationum atque auctoritatum. Hippocratem Virum in morborum cognitione doctrinâ & experientiâ ſolertiſſimum accerſitum opem laturum Feminae morbo corruptae mille & millenis involuto difficultatum ambagibus dictat ratio animum cumprimis intendiſſe ad judicium ferendum de AEgrotae viribus, aetate, humorum temperie, & ſignis potiſſimùm morbi naturam dijudicantibus, ut iſta ſingillatim edoctus, reque maturiùs expensâ non experimentum proferret pericnloſum,

ſed opportunum, facile, illudque ſollicitum praeſtaret auxilium ; atque adeo rationi & adjunctis praeſentibus conſonam etiam iniret curationem. Paucis ſed enim multis occurrere ſolitus in exitiali ac ferme conclamata aegritudine de nulla re magis quàm de pura puta eâque *frigidiſſima Aqua* fecit mentionem. Ejus igitur inſedit animo de eadem fidelia non duos, uti in proverbio eſt, ſed quatuor ſanè dealbare voluiſſe parietes; unius quippe Frigidae uſu Uterinae providit haemorrhagiae, Febrim reſtinxit ardentiſſimam, Molae facilem promovit exitum, & nervinas tandem explicuit laxavitque Contractiones. Pauca liceat attingere de ſingulis.

A perenni copioſoque Cruoris effluxu oppletos, eoſque fatiſcentes indigitari Canales, è quibus Cruor ille defluit, adeo res a fide minimè abhorret, ut ſuopte id norint ingenio vel qui nondum aere lavantur. Nodus igitur qui occurrit extricandus, in eo videtur eſſe, ut hujuſmodi Sanguiferorum diſruptio ad certum Vaſorum genus probabili conjecturâ reducatur. Venas cuilibet extrinſecae cedere preſſioni, Arterias contrà minùs facilè quotidianâ edocemur experientiâ. Ergo ſiquid oneroſae preſſurae per Foetus Molaeque praeſentiam debuit unquam contingere, hoc certè in arterioſo potiùs ge-

genere, quod majori procul dubio resistentiâ donatur, quam in venoso systemate, texturâ suâ imbecilliori, non difficulter evenisse fatendum est. Accedit praeterea quod quo magis Venae pressioni cedunt extrinsecae, eò major copia sanguinis propter intercisum Fluidorum commercium debuit retineri in Arteriis (*a*). Cum itaque de Muliere ageretur succulenta ac plethorica, quam ultimos adhibuisse conatus oportuit, ut Partum eniteretur, ut par est credere, difficilem; mirari non subeat, si tam a nimia Foetus Molaeque pressione, quàm ab aucto sanguinis impetu per musculares motus in violentiori pariendi nixu, Arteriae uterinae satis turgidae, magis magisque resistentes, disruptae tandem fatiscerent, eamque cruoris copiam, quam Historia recenset, ingenti vi plenoque gurgite modò magis modò minus perseverarent effundere (*b*). Ad restim denique res rediit, ubi opem laturus promptam, Frigidae usum proposuit Hippocrates, hac siquidem solâ futurum sperabat, ut laxatâ Uteri tensivâ convulsione Molae facilior pateret egressus, imminutoque San-

 gui-

(*a*) Venis compressis tanto major copia Sanguinis continetur in Arteriis. *Vansvviet. in Boerhav. Comm. T.* 1. *P.* 1. §. 112. *p.* 169.

(*b*) Copiosus sanguinis effluxus vasa majora vitalem rubrum sanguinem gerentia laesa esse demonstrat, in primis autem arteriosa. *Idem Tom. eod.* §. 218. *p.* 344.

guinis impetu tam per nimiam ejuſdem (*a*) effuſionem, quàm per frigidiſſimi laticis praeſentiam reſciſſa Vaſa contraherentur, Arteriarum extrema reſilirent, & ſic tandem propriâ contractilitate callo veluti obducto clauſa penitus remanerent & obdurata. Optatis enimvero ex facili reſpondit eventus, nam licèt ad dies quadraginta infelix Puerpera magnis perfuncta deſcribatur laboribus, *Aquae* nihilominus tantummodo *frigidiſſimae* uſu; *Vino* aliàs *ablegato* quod majorem ciere poterat criſpationem; in priſtinam tandem adducta eſt ſanitatem. Verùm quae hìc curſim de Frigida innuimus, fuſiùs ac pro meritis ſuo loco diſputabuntur.

Ad Febrim ardentiſſimam profligandam adeo proni ac lubentes in Frigidae Methodum conceſſerunt Auctores, ut dies & pagina nos deficeret, ſi ſingulos qui in hac parte Hippocrati Galenoque ſubſcribunt, ad fidem faciendam deberemus nominatim referre. Efficacis ſed enim cujuſpiam remedii virtus una ſemper eſt, ſibique conſtat; verùm ubi felix ejuſdem eventus diuturniori innitatur experimento, nemo eſt, qui obviis ulnis ipſum non amplectatur. Sic methodo Frigidae

(*a*) Minores Arteriae, immo ſaepe magnae integrè diſciſſae, ſponte clauduntur, imprimis debilitatâ Vitâ per magnam ſanguinis jacturam. *Vanſvviet. Ibi. Tom. p.* §. 218. *p.* 347.

gidae in febriles aestus contigisse rationi videtur consentaneum; quam siquidem tantummodo in clamosam sitim forte suasit ingenii largitrix necessitas, Ratio deinde etiam ad causas ejiciendas morbificas ejusdem usum prudenter ampliavit, ad rei opportunitatem extendit. Si uspiam tamen opus fuit ad id medelae genus provocare, porro siti enectam Puerperam tutiori hoc muniendam vallo praeceps dictavit occasio, primis potissimùm morbi insolescentis diebus, ubi scilicet nondum exsucca penitus, aut penitus emuncta langueret, nec ob nimiam adhuc sequutam cruoris jacturam prorsus desponderet animum. Nam ipsomet in Frigidae usum advertente Galeno (*a*), *ubi Febres moram traxerint, tunc vires redduntur imbecillae, & sanguis fit paucus*: atque adeo impar natura redditur, ut aegritudinis ferociam aut partim leniat, aut radicitus demoliatur. Nimia igitur cruoris, jactura fuit in causa, ut disrupto Fluidorum vinculo acriores particulae conspicuae supra reliquas fierent, & motum ciendo febrilem adeo Puerperam laederent, ut ultimo ejusdem imminerent exitio. Verùm ne tanta Mali labes tam subitò progrederetur ingravescendo, Frigida praesto exhibita praesens omne amovit periculum, furensium humorum tempestivè compressit

(*a*) *Lib. de Marcor. cap. 7.*

preſſit ardores , & eo tandem aegrotantem neceſſario refecit latice , cujus maximam partem cùm per febrilem aeſtum , tum per nimiam ſanguinis jacturam , & effuſionem abundè ſatis defeciſſe jure videtur conjectandum.

Sed enimvero mali Ovi pejor Pullus ſupererat excludendus , ubi forte ſedato febrili impetu per uſum Frigidae , adhuc informis carnis congeries in Puerperae exitium tenaciter adhaerebat Uteri cavitati . Quid autem in cauſa fuerit ut facilem eidem inhibuerit exitum : cum Foetus caeteroquin bonis avibus priùs erupiſſet in lucem : certè onerosum minimè erit hocipſum excerpere , dummodo rem preſſiùs ac propiùs rectâ judicii lance perpendamus. Duo profectò in eo rerum ſtatu par eſt credere in aerumnoſam mulierem conſpiraſſe , nimiam ſcilicet Uteri Contractionem , & ſatis conſpicuam virium Debilitatem. Utraque uno eodemque implexa fuere nodo , Ambo ex ipſomet fonte ſuam agnoverunt originem. Ob nimiam ſiquidem Cruoris jacturam cum depleta , exhauſta ac fere emuncta Uteri vaſa majorem nanciſcerentur contractilitatem , breviora fierent , atque in anguſtum magis magiſque coarctarentur ; neceſſariò etiam debebant in exiles , eaſque multiplices plicas totam ejuſdem Uteri molem contrahere : quâ ſic immi-

minutâ, & crispatâ difficilior etiam contentae Molae pateret exitus, tricosius eidem objiceretur repagulum. Sed res ad Triarios, ut in Proverbii locum cessit, videbatur rediisse, cum & spes nulla affulgeret informis carnis extrudendae, & eo minores reliquae forent vires infelici aegrotanti, ut extremo saltem conatu Molam arctiùs haerentem eniteretur expellere. Ergo ad Frigidae usum fuit juremerito provocandum, quo certè praesidio aquosus latex sensim Massam subingrediens Fluidorum relatas Uteri crispationes ad faciliorem Molae exitum non aegre valeret emollire, eoque ipso expeditior etiam occurreret ratio, quâ aegrota infelix collapsas repararet vires, ut alacriori fortiorique animo Molam tandem dejiceret. Quanti autem fieri quandoque debeat tempestivus Frigidae usus pro virium prostatarum reparatione, frequentioribus edocemur exemplis; quotidiano siquidem advertimus oculorum intuitu per extrinsecam Frigidae aspersionem (a): *Contractas Venas suum Sanguinem cor versùs derivare, hoc sic irritatum contrahi, & ita totum hominem syncope aliàs correptum revivi scere*: quidni internè haec ipsa usurpata potiorem fortè praestitura erat opem, certissimum prostratae Feminae non suffectura fuerat & vigorem & adjumentum?

Res

(a) *Vansvviet. in Boerhav. Comment.* §. 1. *p.* 2.

Res porro ex voto ſucceſſit: quippe per repetitos Frigidae hauſtùs cum arctiſſimè corrugarentur oeſophagi Stomachique Venae, & cum iis id genus aliae, debuerunt majori niſu motuque celeriori ad Cor tranſmittere refluum ſanguinem, qui aliàs tamquam cauſa fortè praecipua, ut cor ſuos ingeminet motus, certiſſimis aſſeritur experimentis (*a*). Sanguis ita eò depulſus debuit rurſus ab ipſo Corde in arterioſos canales per vim ſibi auctam propelli, atque ab iis pro oblata neceſſitate ad univerſas corporis partes diſpertiri. Sic mutuo Fluidis reſtituto commercio, fortiori Solidis redditâ iterum cohaeſione, potuit etiam ex facili in antiquum muſculare robur exanguis Puerpera vindicari, atque adeo novâ virium contentione adniti, ut informem Conceptum cum foetida lymphae portione foras ab utero tandem eliminaret. Quanta autem ſit virtus frigoris ad vires quoquo modo reficiendas docuit etiam inclytus ille Sarpedon ab Homero relatus (*b*), quem cum Anima ob acceptum vulnus relinqueret, Aura borealis vix inſpirata, contractis frigore Venis, extemplo redivivum reſtituit.

Et redivivam porro, & viribus ſatis refectam per Frigidae uſum proclive eſt aſſerere in melius vel rediiſſe Puerperam calamito-

(*a*) *Idem* §. 15. *pag.* 25.
(*b*) *Iliad. Lib.* v. *p.* 95.

mitosam. Verùm cum nondum foret prorsus finitus Orestes, & residua ab Inanitione nimià Uteri crispatio, & Tumores superiùs indicati, atque hinc inde suborti adhuc supererant resolvendi: quibus sane libratis ultro citroque rationibus, nullum sanè aliud praesentius remedium profuturum magis, quàm ejusdem Frigidae continuationem rationi videbatur consentaneum. Sed enim ad praefatos eliminandos tumores, ut faciliùs ineatur, & intelligatur Frigidae agendi ratio, praestat hìc rursus repetere, quae jam supra notavimus de Convulsione ab Inanitione, & de Febri ardentissima, quam copiosa excipere consuevit haemorrhagia.

A Vasorum nimia depletione, necnon ab Acrimonia alchalina, quam residuus nactus fuit sanguis ob oleaginosarum partium jacturam, diximus superiùs majori ex parte profectas esse Solidorum Contractiones & motum caeteroquin aestuosum, qui oppidò pro Febrili significatur. Utraque morbosa istiusmodi principia mutuam sibi porrexere opem, ambo ex composito conjuraverunt amicè. Longitudinales quippe Fibrae eò majorem se crispavere in arcum, & Orbiculares in diametron angustiorem, quò in conicis canalibus, quos propriâ texturâ constituunt, minorem invenerunt Fluidorum plenitudinem aut resistentiam. At si minorem inveneruns Flui-

dorum plenitudinem, non ideo minorem aut inanem in mox tumefaciendis Fibris muſcularibus nactae fuerunt reniſum aut repugnantiam. Aéris ſiquidem elementa, ſive tenuiſſima ejuſdem corpuſcula, promiſcuè per Fluidorum perturbatam compagem hinc inde fluitantia, debuerunt non aegrè admodum priores immutare diſtantias, propiùs per vim quamdam Attractionis ſeſe inter accedere; atque adeo in unum quid elaſticum compreſſile coacervari. Iſthaec igitur diſperſa Aéris elementa ubi in unum coaluerunt corpus, ob innatum niſum ſeſe expandendi & repellendi (cui aliquid, ſi mavis, etiam potuit conferre alchalina Acrimonia) mirari non ſubeſt ſi in tenſivas diſtractos canales dilataverint elevationes. & hinc in tumores varios variis in locis ſubortos, prout ex hiſtorica morbi relatione fuit pluries, & forte ad nauſeam hucuſque commemoratum.

Accedit praeterea quod ut firmiter ac tonicè in acquiſita criſpatae Partes permanſiſſent contractione, debuerunt jugiter urgeri a novo ſpirituum impetu igneam naturam aemulantium, quos ſanè huic officio feciſſe ſatis ſine labore comprehenditur, ſi rurſus advertatur, venoſum ſanguinem per Frigidae uſum celeriori motu in ſemivacuas traduci arterias: Arterias venoſo ſanguine ſuffectas violentiùs moveri per Vaſa Cerebri, & a Cerebri

rebri Vaſis novam, eamque expeditiorem & copioſiorem ſieri ſpirituum productionem. Sentit quiſque igitur quàm congruum, quàm opportunum, immo quam maximè neceſſarium fuerit in eo praecipiti rerum ſtatu ad uſum Frigidae appellare; cum per aquoſum laticem ſatis frequenter hauſtum ſolvi facilè potuerit tenſiva uteri convulſio, unde Molae expeditior patefieret exitus: Dilui per hunc ipſum potuerit alchalina Fluidorum mordacitas: compeſci faciliùs effraenis & ignea ſpirituum pernicitas: & per ſaepius iteratas Aquae potiones laxari, ac emolliri debuerit centies recocta tenſiva & flatulenta muſcularium Fibrarum Diſtentio, atque Elevatio: prout non uno in loco in nervinas Muſculorum rigiditates Frigidam externè adhibendam edocuit, & pro data occaſione non ſemel ipſemet Hippocrates beneauſpicatò frequentavit, ita in ſuo aureo Libello (*a*) notante, ac referente acerrimo ejuſdem Hippocratis Imitatore doctiſſimo, ac ſolertiſſimo Sinibaldo.

Haſce verò ſubciſivas in Hiſtoriam hactenus enucleatam Animadverſiones non eo ſanè conſilio exaravimus, ut dubia pro certis, Conjectaria pro veris ab omnibus promiſcuè aut probari debeant aut accipi. Ea quippe nec nova nec novè noſtrum ſubit animum co-

 gita-

(*a*) Jacobi Sinibaldi Parva Methodus medendi Animad. xx. de Convulſ.

gitatio, nil magis quàm Medicinae Phoenomena explicatu ancipites, summèque versatiles pati fere consuevisse explicationes; qua de re minimè fateri piget, eandem causam, quae ob nimiam sanguinis jacturam, ut supra praelibavimus, satis fuit ad fixam & tonicam progignendam Convulsionem, eandem ipsam suum potuisse ortum aliquando impertiri & Solidorum Laxitati, & Tenuitati nimiae Liquidorum; immo & illius generis tumores hinc inde produxisse, quos vulgò Medicorum Scholae aedematosorum nomine solent appellare. Si ullam tamen notatu dignam par sit credere interfuisse differentiam, quae faciliorem scilicet efficere potuerit Laxitatem, aut majorem in Solidis Crispationem, ea profectò ad Sexus varietatem magis minusque robustiorem videtur juremerito referenda. Viros fibrâ donatos rigidiori, Feminas contra molliori: nisi excipias Viragines: omnium est in confesso. Sibi igitur constare potuit, ut relata Puerpera, alioquin, ut fas est conjicere, torosa, ob satis copiosam, quam passa fuit, haemorrhagiam in supra exaratas inciderit Convulsiones, nullo alio praesidio quàm per Frigidae usum reparandas: & rationi etiam videtur congruum, ut (*a*) ab imminuta ni

(*a*) A nimis imminuta Liquidorum copiâ non satis distenduntur vasa, hinc minus reagunt, hinc languent omnia, & debilitantur, atque in aquosam degenerant tenuitatem. Vansvviet. T. p. §. 53.

nimium Liquidorum quantitate conica ejuſdem Puerperae Vaſa minùs diſtenderentur, minùſve reagerent in Fluida; atque adeo omnia languerent, omnia, debilitarentur: ex quo neceſſariò contigit, ut intermiſſo inter venas ſanguiferas commercio cum Arteriis ſanguiferis, & inter venas lymphaticas cum Arteriis lymphaticis, Liquida omnia in aquoſam diſponerentur degenerare tenuitatem; atque adeo in acceſſoriam tandem modò in hac modo in illa parte cogerentur determinari ſtagnationem.

Sed enim ſi minùs iſthaec a veritate diſſentiunt, pronum ac lubentem oportuit & hic Hippocratem ad uſum Frigidae neceſſariò conceſſiſſe; ut nempe infelici aegrotae, diuturnae nimiaeque ſanguinis jacturae ob innatum forſan corporis robur quoquo modo reſiſtenti, ſollicitum porrigeret auxilium: Sanguini qui eidem ſupererat, debitam reſtituendo Solidis Partibus cohaeſionem, proportionalem impertiretur craſſitiem: & ſtrictis aquoſo frigore Vaſis, priſtinum promovendo Fluidis progreſſum, vigorem rurſus augeret; ne ſcilicet per debilem facilèque dilatabilem Vaſorum compagem ſeroſi humores ulteriùs prolatarentur; & ſic in dirum aerumnoſam Feminam impingerent hydropem, cui aliàs aut emunctae penitus, aut penitus convulſae ſine Frigidae auxilio jampridem fuiſſet è Vivis decedendum.

Haec

Haec porro ſunt , quae brevitatis ſtudio exiles veluti lacinias decerpſiſſe juvit ſuper relatam Hippocratis Hiſtoriam , perenni ab omnibus admiratione receptam, a Paucis, quos ſciam , in uſum clinicum revocatam . Attamen ſiquis nunc quaereat quò res haec pertinet ? hujus ſubciſivi laboris ſcopum praeſens facilè demonſtrabit Analogiſmus , quem ſub Diſſertationis nomine proferre maluimus, ut ſcilicet , examuſſim ſingula perpendendo , rationi conſonum facturi eſſemus periculum , An, nempe , Frigidae Methodus in uterino Sanguinis profluvio pro peculiari remedio ab Hippocrate alioquin adhibita , etiam in ſanguinis ſputo, & quacumque aliâ Cruoris effuſione poſſit ad Praxim medicam tutò , aptè, congruenterque revocari ?



IN HISTORIAM HACTENUS RELATAM MECHANICO-PHYSICA ANALOGIA.



AT est aliquid habere ſanae rationis, nedum probati, aut ſelectioris cujuſpiam experimenti, ut recta iis morbis inſtituatur curandi methodus, quos Loci potiùs diverſitas, quàm innata ipſorum natura reddit ab aliis diſſimiles. Morbida ſiquidem cauſa, dummodo amoveatur, non debet magnopere intereſſe, an in his magis, quàm in illis ſeſe exſerat partibus. Solers porro utramque paginam tunc fecit Clinicus, ubi debitam laxitatem Solidis, & faciliorem Liquidis meabilitatem ſtuduerit reſtituere: quidquid tandem illud ſit, quod aut in Pleurae, v. g., aut in Cerebri membranis novas excitet turbas, novam minitetur inflammationem. Quia uterinus morbus hypochondriacam imitari plerumque ſolet aegritudinem, fit inde haud raró, ut quae uni profuerint remedia, non ſemel & alteri ferre conſueverint tempeſtivè ſuppetias. Quid Peruviano Cortice notius, quid eodem ipſo praeſtantiùs? ubi primùm nihilominus detecta fuit ejuſdem virtus, tamquam alioquin eximia in omnes ex intermittentibus febribus, non adeo interpoſita mora eſt, ut vel in morbos pleroſque,

que, qui reducem ſubolerent exacerbationum periodum pro probatiſſimo remedio ab omnibus haberetur, & ſic in dies nomen etiam ſibi magnum compararet. Sed non eſt quod in re certiſſima pluribus immoremur; fruſtra quippe pugnatur rationibus, quando Senſus ipſi, & longus rerum uſus frequentiſſima ingeminarunt exempla. Per Analogiſmum procul dubio in ſuis operationibus Natura procedit, inde & Ars, uti ſedula Naturae ipſius imitatrix, debet ſingulis ejuſdem ſpeciei aegritudinibus analogam etiam remedii opem conferre. Si integrum itaque fuit Hippocrati, ut & Molam extruderet, & uterinam compeſceret hemorrhagiam ad uſum Frigidae confugere. Quid? Vetitum fortaſſe nobis erit vel in quavis Sanguinis effuſione ſimile hoc medicinae genus in morem revocare? Circa factum nunquam nutabit Fides, idque eo maximè ſuo conſtabit certitudinis robore, quòd indicatam Frigidae Methodum *Rationi*, *Antiquitati*, *&* *Experientiae* ſuffultam clariori quo potuerimus ſtylo conabimur vindicare. Parcendum tamen huic labori Aliquis fortaſse opportunum cenſebit, ne reapſe nobis oggeratur illud Horatii: *In Sylvas ne ligna feras*: aut enim in diſcrimen adducimur pleraque iterum repetendi, quae aliàs in recenſita Hippocratis Hiſtoria fere ad nauſeam hucuſque recoximus:

mus:

ximus : aut ſi nova voluerimus dicere incidat inde ſuſpicio , meliora à clariſſimo Ingenio aut animadverſa ſatis , aut dudum fortaſſis jam fuiſſe occupata . Utut tamen ſe res habeat, praeſtabit ſuſceptam, ut dicitur, provinciam quoquo modo adminiſtrare ; atque adeo ſi nova , quae protulerimus , non erunt argumenta , nova fortè erit induſtria , ut eas ad rem propoſitam congerere in unum ſtudeamus rationes , quibus ſaltem videamur minùs indulgere temerariae licentiae , aut ex luxurianti cerebro recentem procudere maluiſſe novitatem .

Nuſquam melius ſuo ſe metitur pede Medicina , quâm ubi propria contulit ſtudia in earum rerum examen , quae in humano corpore ſtatum ſalutis naturalem conſtituunt : ita Recti naturâ exploratâ faciliùs meditatione diutina vel Obliqui potuit eſſentiam perſcrutari , & acquiſitâ veri cognitione de ſana morboſaque Solidorum elaſticitate , deque motu plus minuſve violento Fluidorum limatius non aegrè valuit ferre judicium . Quo magis ab hoc inſtituto receſſum eſt, eò deteriùs conceſſum in contrarias ſemitas , & in ſequiorem curandi methodum , cum in rebus minus diſcuſſis , aut examinatis ſemper pendulus haereat animus & anceps , neſcius cui germaniori ſigno debeat magis aſſentiri , incertior cui Parti debeat opportuniùs occurrere .

rere. Hoc nos ducti consilio, ne quo forte erroris nomine censorio supercilio traducamur, antequam rationes proferamus in medium, quae Frigidae usum magis videantur asserere, esse è re nostra putavimus accuratiùs cumprimis perpendere, quae unquam ea sint, quae nos in Vita conservent diutiùs incolumes, ut causis nimirum sic expensis bonae commodaeque valetudinis, faciliùs inde genuinae morborum origini queamus tempestivè prospicere. Rem praestat expedire brevioribus effatis.

Vita nostra & sanitas in eo tota est, ac versatur, ut Actio Solidorum aequaliter perennet in Fluida, & motus Fluidorum reflectatur consequenter in Solida: prima agendi ratio a majori Fibrarum elementarium cohaesione: altera a debita ac proportionali Fluidorum crassitie undequaque dependet. Ubi itaque arctiùs inter se cohaeserint Solidorum elementa, eò fortiori nisu, & elasticitate iis conflata conica vasa suam debebunt exercere vim in Fluida contenta: quae caeteroquin violentiori vel debiliori protrusa conatu majorem vel minorem acquirent circumfluendo crassitudinem, aut tenacitatem. Comperta haec oculis habentur si semel Cruorem robusti, aut torosi hominis cum sanguine comparaveris Debilioris, Vesculi, Socordis, aut nimiùm fortasse Delicatuli; ab Altero enim,

Venâ

Venâ incisâ, denſior manabit ac ſpiſſior: tenuior ac minus concreſcens proſiliet ex Altero. Quiſquis tam inaequalis differentiae cauſas voluerit curioſiùs exſpicari, aliam profeſtò non offenderit niſi ſupra mox relatam Solidorum majorem Actionem, aut etiam renixum eorumdem magis moderatum. Vehementiori ſiquidem Cordis impulſu fortiorique Arteriarum compreſſione Sanguinis moleculae continuo attritu condenſantur, & amiſſis per violentiorem motum, caloremque inde auctum aquoſis particulis, neceſsariò texturam nanciſcuntur ſpiſſiorem. Secùs autem debet iis evenire fibrâ donatis molliori laxiorique propter rationem contrariam, uti ex notatis integrum erit cuilibet non difficulter advertere.

Verùm operam luſiſse videremur niſi hactenus adducta mechanico-phyſica documenta ad rem ſtuderemus conferre, & ex duplicis relato Doctrinae fonte momentum rationis non depromeremus etiam duplicatum. Innuimus ex praefatis Solida eſse & Liquida mutuò inter ſe congruentia, quae ſuo ſanitatem firmant libramento, ſed non uſque adeo conſtare hoc ſibi potuit, ut nulli adverſae patère debuerit valetudini. Eædem quippe cauſæ, per quas vivimus, parum a ſeipſis mutatae occaſiones fiunt pluſquam validae, ut è Vita decedamus. Si proportionales itaque

ac reciprocae Solidorum Fluidorumque Actiones diutissimè nos conservant ac tuentur incolumes, ubi eaedem ipsae plus minusve a debito ac naturali robore vel minimum recesserint, facili negotio sufficient aut morborum turbas aut cohortes calamitatum affatim tricosiores. Sic porro iis contigisse fatendum est, qui in morbos inciderint à fibra oriundos debiliori, licèt quippe fluidiorem acquisierint sanguinem, ac minus propterea vel leviori Solidorum impulsui restiturum, discrimen tamen non evitant, quin Vitae aleam nonnunquam subeant extremam, & ex malorum Minimo clam serpente improvisò quamsaepissime occurrant in Maximum. Exemplo esse poterunt non adeo infrequentes Vasorum sanguiferorum ruptiones (neque enim numero comprehendere refert reliquos morbos, quorum examen parvi aut nihili impraesentiarum interest ad susceptum revocare argumentum). Has enim licèt captu videatur difficile posse aliquando iis contingere, qui laxiorem nacti sunt fibrarum compagem, accidisse tamen non semel compertum est, ut (*a*) ab Ira, Furore. accliviori Ascensu, Exercitio violentiori, aliisque id genus causis animales Spiritus subito perciti motu in Cor tumultuo-

so

(*a*) A levibus nec ullâ prudentiâ humanâ evitandis causis augetur circulationis velocitas. *Vansvviet*. *T.* 1. §. 24. *n.* 22.

ſo impetu irruperint: Cor ſic irritatum citiores fortioreſque ſuos ingeminaverit ictus in Arterias: Arteriae, ne à vi Sanguinis largiùs recepta obruerentur, debuerint & ipſae ſuas frequentiùs iterare pulſationes; ex quo illud neceſſariò contigit, arterioſos ſcilicet canales, texturae potiſſimùm laxioris, minùs potuiſſe in ſuis extremitatibus reniti in crebriora impulſuum momenta, in adauctum per celerioris Cordis ſyſtolem Sanguinis volumen, & in majorem denique Fluidorum rarefactionem latius ſibi ſpatium vindicantem. Hinc eodem perdurante Cordis celeriori fortiorique Impulſu ipſoſmet canales, qui & diſtendenti Liquido, & excandeſcenti ejuſdem exceſſui debuerant innatâ ſibi texturâ reluctari, factos per vim flexibiliores ad nutum currentis Liquidi diſtrahi, elongari, fierique exiliores oportuit, donec ſolutâ momento cohaeſione aut penitus omnino fatiſcerent, aut paulatim ſaltem dilatarentur.

Qualibet enimvero ſemotâ cauſae vel extrinſecae occaſione, non minorem porro diſtractionem coguntur aliquando ſubire Vaſorum debiliorum Extrema, ubi a leviori remiſſiorique Cordis & Arteriarum impulſu contenta Liquida in remotiſſimas quaſque Partes propelluntur: quo enim longiùs a ſuo impellente principio ſegniora praeterfluunt, eo faciliùs ob languidiorem Vaſculorum renixum

circa

circa Canalium latera valent in unum congere-re Glutinosum spontaneum, quod alteri super-venienti a tergo Líquido aut difficiliorem, aut praepeditam gignere fere consuevit circulationem. Ubi igitur res eò devénit, ut in aliqua ex minimis seu tortuosis Arteriis motus Fluidorum improvisò sistatur, Sanguis qui a Cordis ictibus protrudi debuit ad Vitam perennandam, nititur primùm, obice reperto, condensari, perturbativo deinde motu, ut Undae det Unda locum, novum curat sibi quaerere spatium, omnes dimovere studet angustias, & claustra sua conatur enixiùs effringere; donec plagis frequentibus a Corde inflictis magis secum ipse luctando, convellere, dilatare, aut penitus tandem disrumpere adigatur ultimam obductorum Vasorum cohaesionem: quâ disruptâ eo acriùs, quo angustiùs malignè prosilire gestit, atque prorumpere.

Sed Contrariorum cum una eademque vicissitudo sit, par modus, & ratio, inde volens facilisque sequetur & altera scissorum vasculorum origo, quam non raró invexit nimia Solidorum Rigiditas, fons caeteroquin & causa, ut in majorem necessariò cogantur spissitudinem Moleculae Fluidorum. Longitudinales quippe Fibrae & Orbiculares, quibus Conica conflantur Vasa, cum aut propter nimiam primorum elementorum cohaesionem, aut ob sibi forte adauctum motum ab extrin-

seca

seca causa viribus fuerint adeo pollentioribus, ut alterae in majorem arcum, in strictiorem alterae se crispaverint diametron; tunc haec ipsa Vasa fortiorem nanciscentur elasticitatem, & robur validius: quo aucto magis magisque se contrahendo in arctiorem etiam adducent angustiam Liquida praeterfluentia. Sed isthaec ex Notatis a fortiori Cordis & Arteriarum actione fluxibilitatem indies mutuata tenaciorem (*a*) innatâ sibi vi distendendi Canalium latera, facili uegotio obniti reluctarique poterunt vasorum renixui, omnesque moras rumpere, ne motus progressivus aut sibi paulatim retardetur, aut penitus tandem & omnino praepediatur. Verùm in quolibet, ut fit, conflictus discrimine nunquam rei finis imponitur, nisi Pars debilior lubens meritòque se facilem dediderit robustiori. Idem porro fore ut contingat in Solidorum Fluidorumque luctatione rationi videtur consentaneum; cum enim (*b*) in magnis arteriis propter maximum velocitatis momentum nullam valeat sanguis reperire quietem, ut sistatur, locum tandem necessariò sibi vindicat in minimarum arteriarum confiniis, segniori debilioríque prae-

(*a*) Quo densiora sunt liquida eo majori impetu in Vasa nostra agunt. *Vansvviet. T.* 1. §. 54.

(*b*) In illis vasis per quae est validissimus humorum motus non facilè inveniuntur viscosa vasis adhaerentia, sed in ultimis vasis. *Idem ibid.*

praeditis elaſticitate ob mâjorem impellentis principii diſtantiam. Ibi cedente ſenſim Solidorum renixu idem Sanguis in ſeipſum primò congeritur, innato deinde pondere opprimit obducitque canaliculorum diametron, donec per motum turbativum ſubitò excitatum, velut impete facto, eoſdem urgendo diloricet, convellendo diſrumpat, aut elidendo penitus demoliatur.

Hactenus quantum ſuſcepti inſtituti tulit ratio, ea propoſuimus, quae ex mechanicarum Legum praeſcripto Solidorum ruptiones revincunt vel laxae nimis vel nimis rigidae cohaeſionis: reliquum nunc foret, ut de alchalina Fluidorum Acrimonia aliquid etiam eniteremur depromere, utpote illa quae in pleriſque Haemorrhagiis fere primariò eroſionum nomine paſſim inſimulatur a Clinicis. Verùm ſi aequis rem oculis preſsiùs propiùſque velimus inſpicere, non adeo furſan operoſae erit indaginis, ut & hanc ipſam ad rigidioris fibrae vitium aequiori debeamus jure revocare. Illud quandoquidem ratum certumque eſſe debuit, a perenniori fortiorique Cordis & Arteriarum attritu maximum particularum aquearum proficiſci diſpendium: quo facto, ipſa ſuo fluet inde pede eroſiva mordacitas, quae nec magis conſpicuam, neve acrem magis poterit unquam ſe prodere, niſi partim, aut omnino defeciſſe aquoſus latex probabili

babili conjecturâ judicetur. Ut ut tamen ſit, rem ſemper eòdem recaſuram animo facilè reputabimus, ſi in mentem illud revocaverimus, nuſquam ſcilicet poſſe fieri, ut erodentes particulae a reliquo Fluidorum vinculo valeant emergere, ſejungi, interniſque arteriarum tunicis aptari, niſi prodroma eorumdem Fluidorum opportunè praegrediatur inertia. Hac unâ nempe Sanguis parte caeteroquin orbatus aquoſiori, denſior factus, acriorque redditus & ſalſior non difficili ſanè negotio extrema obducet Arteriarum; immo progreſſivo ibidem retardato motu tantumdem exercere poterit virium, ut internam ipſarum texturam erodat, exedat, aut omnino peſſumdet; exitum ſibi alioquin facturus quâ data porta expeditiorem. Exemplum emuſſitatum commodè cadet ex Mechanicis, ut rem clariùs elucidemus; quotidiano enim oculorum intuitu compertum eſt, ab iis fere Aquis Canales vel plumbeos minùs ſervari illimes, incorruptos, aut integros, quae ſalſae aliàs, aut ſalmacidae, coenoſae aut lutulentae internam, quâ praeterfluunt, aut ſenſim erodunt, aut tartaro obducunt meatuum ſuperficiem; aucto hinc in dies obice, praecluſoque itinere ſalinae aquarum particulae praeſentiorem, ibidem ſtagnando, nanciſcuntur occaſionem exedendi canalium latera, quibus adhaerent: & Undae noviter a

tergo profluentes, dum adverſum obnituntur ſuperare impedimentum, fatiſcentes rimis Tubos aut medios diſrumpant, aut laxiùs ſaltem prolatent neceſſe eſt. Quae igitur in hiſce Artefactis paſſim contigiſſe obſervamus, quidni evenire haud aegriùs poterunt in Tubulis, ſeu Canalibus noſtri Corporis, quorum Fluida, re maturiùs expenſâ, nullâ corripi frequentiori labe animadvertimus, quàm vel Salium exoticorum aſperitate, vel Lentore, Craſſitie, ſegnique motu, plurimorum fere morborum cauſâ vulgò potiſſimâ, ne dicamus, univerſali?

Verùm ut quiſque perſpicit, incidimus vel nolentes in eorum Fluidorum examen, quorum vitium ad rigidiorem potiùs Solidorum cohaeſionem non aegrè referri poſſe jam nuper indicavimus. Sed quoniam res rem conſequitur, minimè ab inſtituto receſiſſe, fortaſſe videbimur, ſi poſt diſcuſſam obiter Liquidorum indaginem aliquid etiam vel de nimia Sanguinis copia proferre conabimur, quae aliàs in Sanguiferorum Vaſorum diſruptionibus tanquam cauſa vulgò praecipua ſolet & ipſa non infrequenter inſimulari. Si uſpiam, nunquam meliùs quam hìc, adamuſſim quadrat Ovidianum Adagium: *Nil prodeſt quod non laedere poſſit idem*. Experientiâ quippe duce erudimur quotidie, minùs diu ſtare poſſe res, quae naturae modum aut excedant, aut eumdem quo-

quo

quo pacto refugiant, aut averſentur. Athletarum habitum aptè in exemplum refert ſolertiſſimus Hippocrates, quorum profectò Viſcerum robur, & Actiones eoipſo quod ab integra eduliorum ſubactione Chylum educere ſolent copioſiorem, atque ex hoc conſequenter tantundem ſucci defaecatioris & Sanguinis; non aegrè fit aliquando, ut citò mutatis rerum vicibus, optima quaeque, melioris neſcia fati, in aliam facilè degenerent indolem, modum interminentur hoſtilem, naturam ſibi comparent deteriorem. Nec enimvero perperam Aliquis ſibi forte blandiatur, non adeo frequenter ex bono principio eventùs manare poſſe funeſtiores; quandoquidem ſi nimia Chyli Sanguiniſque copia in reparandis Corporis Partibus modum ſemel exceſſerit quantitatis (quòd aliàs abſumi difflarique nequeat) haud difficulter corpus reddet magis tardum, magiſque ponderoſum. Ex inducta hac inertia plus Venae turgere incipient quàm Arteriae; cum palam ſit, tunc (*a*) potiſſimùm majorem in Venis congeri Sanguinis copiam, cùm minor per Vaſa motus contigerit Solidorum: & magis è regione impleri Arterias, Venaſque

 de-

(*a*) Quo minor eſt motus humorum per Vaſa, eo plus aggregantur in Venis humores: quo major motus eſt, eo plus implentur Arteriae, deplentur Venae. *Vanſvviet. T.* 1. §. 106.

depleri, cùm major cietur motus in circumfluentibus Fluidis. A quacumque igitur caussa aestu aliquando perciti Animales Spiritus Musculorum Systema concitaverint, eò promptiùs Venas compellent Musculis intersitas, ut (*a*) contentum Sanguinem ad Cor traducant nisu cursuque celeriori. Cor ne cedat obrutum geminatis venosi Sanguinis undis, suos crebriùs repetet ictus in Arterias, a qua repetita Actione necessariò inde sequetur fortior humorum Attritus, auctior Calor, productior Rarefactio. In hunc confusum perturbatumque modum rebus ita redactis, quidquid mensuram priùs quantitatis tantùm excedebat, duplo deterius fiet ac perniciosius, quòd nempe spatium sibi latius comparaverit. Quare magis aucta magisque rarefacta universa Fluidorum Moles Venas aequè pressiùs urgebit ac Arterias; sed has potiùs ac maximè, quia scilicet eniti nequicquam poterunt, ut arteriosum Sanguinem in turgidas oppletasque Venas protrudant: cum & a plenitudine nimia ipsaemet Venae distendantur, & a muscularibus actionibus Diametron continuò pati cogantur angustiorem. Major hinc igitur suboriri debebit resistentia circa arteriarum confinia: majus inde Sanguis, in angustum coactus, sibi quaerere

rere

(*a*) Sanguinis Venosi motus versùs Cor acceleratur Musculis motis, *Idem T. eod.* §. 105.

rere enitetur ſpatium, & cùm ultra progredi non poterit, tandiu Vaſa reverberabit prementia, donec aut morbosè dilataverit, aut omnino diſruperit.

Hydram ſedenim & Pellem cum Quinto Catulo (*a*) finxiſſe hactenus, & Herculem & majora ejuſdem opera perperam praetermiſiſſe fortaſſe videbimur, ſi poſt diſcuſſas Vaſorum diſruptorum cauſas, modum rationemque, quâ Vaſa ipſa diſrupta aliquando coaleſcunt, hìc inconſultò negligamus examinandam. Quò autem faciliùs rem curemus attingere: Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum: juvabit hìc initio ſuſceptam iterum retinere methodum, expendendi ſcilicet naturalem Sanguinis Circuitum, ut hunc adamauſſim edocti de morboſo Statu ſecurius ferre valeamus judicium.

Sanguis dum a ſyſtaltico Cordis impulſu protruditur in Arterias latiori contextas orificio in Conum ſemper anguſtiorem deſinentes, urgendo earumdem latera eniti neceſſariò debet, ut in ampliorem ipſas dilatet capacitatem. Creſcit iſthaec pedetentim, eoque expanditur laxior, quo circa Arteriarum confinia in promovendis Liquidis majorem idem Sanguis offenderit reſiſtentiam. Palam res fit, omniumque oculis ſubjicitur facilè, ſi qua ſtrictiori alicubi ligamine Arteria

(*a*) *Cicer. lib. 2. de Orator. n. 17.*

teria aliquando devinciatur, quae Cor inter & ligaturam citiùs sese replendo, alioquin turgescet, vinculo motum impediente, ne Fluida pressoriae angustiae ulteriùs praegrediantur. Sed cum quaelibet humani corporis Actio ponderibus sit libranda suis, & antagonistis, ita Natura postulante, debeat motibus opportunè coerceri; fit inde facilè ut Circulares Fibrae sponte suâ eidemmet statim obsistant Arteriarum latitudini: & prout Cordis interquieverint ictus, in seipsas innatâ vi coarctentur, texturae propriam nanciscantur figuram, & modò cedendo, modò resistendo, nunc Canalium laxitatem admittant, nunc per renixus summos, arctiùs sese restituendo, constringantur. Hocce inaequali Cordis impellentis, & renitentium Arteriarum certamine, debito tamen modo atque ratione distincto, tota fere Vitae nostrae chorea perseverat.

Sed si semel contingat, ut Arteria alicubi disrupta sanguinem patulo orificio cogatur effundere, tunc enimvero immutantur naturae vices, tunc omnis susque deque pervertitur ordo. Quo enim magis per Vas disruptum copiosior fiet Sanguinis jactura, eo plus, debilitâto inde Cordis impulsu, imminui necessariò debebit Cruoris momentum, quod Arteriarum caeteroquin parietes latos identidem detinebat & patentiores.

Cessa-

Cessabit itaque causa, quae Arterias ad ictus Cordis inflictos in majorem impellebat amplitudinem, & expansionem; sed crescet inde auctior fibrarum orbicularium, & longitudinalium elastica contractio: Altera quòd alternante motu arterias ipsas in angustiorem coercebat Diametron: Altera quòd eo magis sese corripiebat, quo plus per factam scissuram & orificium cogebatur idem Sanguis effluere, qui aliàs per repetitos cordis impulsus longitudinales fibras cunei adinstar oblongari subinde compellebat atque distendi. Utrumque igitur fibrarum Systema, prout Sanguis Cordisque vires aequipondio defecerint, inniti ad conatus ultimos debebit, ut innatam adipiscatur figuram, Alterum strictiorem, breviorem Alterum. Sed si disruptio, ut fere contingit, in aliqua cujuspiam arteriae sequatur extremitate, post copiosiorem inde factam Cruoris jacturam, post vires debilitatas, postque hinc imminutum impulsi sanguinis impetum, necessariò Vas illud rescissum per praefatas longitudinales Fibras magis contractas in seipsum debebit retrosilire; perque Fibras orbiculares magis coarctatas, inter vicinas partes se debebit recondere: unde harum mole ac pondere tamdiu comprimi adigetur & angustari, donec aut omnino obstruatur, aut callo veluti obducto penitus denique complanetur.

Quan-

Quantum hactenus propositae Dissertationis susceptum postulabat argumentum, omnes, ut remur, eas recensuimus causas, germanioresque occasiones, quae vel Solidorum culpâ, vel vitio Fluidorum relatas in sanguiferis canalibus efficere consueverunt disruptiones: Modum praeterea investigavimus & rationem, quâ Vasa eadem rescissa post majorem vel minorem Sanguinis effusionem in seipsa resiliunt, atque iterum aliquando coalescunt; reliquum nunc erit, ut accuratiori perpendamus trutinâ, An Frigidae methodus (Remedium in quamcumque Haemorrhagiam caeteroquin eximium) & recensitis consulere valeat Disruptionum causis, & vasis ipsis rescissis citò tutè ac jucundè praesentiorem possit medelae opem conferre? Rem lubet expedire debitis cautionibus, ut Proposito auspicatior respondeat eventus.

Tria profecto sunt, quae conspirare amicè, mutuasque praestare sibi debent necessariò suppetias, ut modo scilicet faciliori vim suam exserat usus Frigidae in quamcumque Sanguinis eruptionem. *Victus* nimirum *tenuissimus*, illius adinstar, qui (*a*) Vulneratis praescribi jure solet: isque vel *frigidè*

(*a*) Vulneratos fame affligito. *Hip. L. de Affect. & Lib. de Vlcer.* Modicus cibus & Aquae potio quammaximè omnibus vulneribus, magis tamen recentibus confert.

gidè omnino, vel *ſubfrigidè* ſaltem exhibendus: *Sanguinis repetitae miſſiones*: & *Quies cùm Animi tum Corporis* ſollicitè, accuratè omnique religione obſervanda. Exigitur Primum, ut per pauciſſimam Alimentorum applicationem ad fibram nutriendam Solida faciliùs Liquidorum motum poſſint ſuſtinere; omni hinc poſtmodum relegato *Calidorum abuſu* Sanguis, minus ſe rarefaciendo, non adeo expeditè è diſrupto Vaſe proſiliet, aut diſperdetur. Requiritur Secundum, ut debilior reddatur Cordis impulſus: Velocitas decreſcat Circulationis: & quantitas Sanguinis vas reſciſſum diſtendentis quamcitiſſime omnique ſtudio curetur imminui. Opus tandem eſt Tertio, ne per varias variarum cogitationum Ideas variè etiam immutentur Solidorum Actiones, & motus conſequenter reciprocus Liquidorum neque aeſtuando inſoleſcat, neque torpeſcendo anſam faciliorem praebeat ſalinae Acrimoniae, ut patentiùs eroſum Canalem exedat, aut omnino demoliatur. Eâdem curâ diligentiâque erit & quammaximè cuſtodienda Quies Corporis, ne ſcilicet plus turgentes in ſuis Actionibus Muſculi, Venas comprimendo adjacentes, eo fortiùs venoſi Sanguinis motus Cor versùs accelerent: Cor ita impulſum ſuos in Arterias ictùs crebriores ne ingeminet: temperetur hinc celerior Liquidorum

circuitus: & inde tandem nec major ſequatur per Vas diſruptum Sanguinis effluxus; nec, ſi expleri Vulnus inceperit, extrinſeco accedente motu, hiſcere iterum incipiat, aut Penelope telam quaſi retexente, rurſus fatiſcendo reſeretur.

Hiſce trium cautionum praeſidiis, quae curativae debent Methodo ſubſterni auxiliare veluti fundamentum, de fauſto Frigidae eventu in quodcumque Sanguinis profluvium ſibi ſpondere ex facili poterit Clinicus; dummodo reſciſſi Vaſis laeſionem in majoribus canalibus minimè accidiſſe probabili conjecturâ revincatur. Si enim fortuitò auctus Liquidorum motus: ut rem ſummatim liceat a capite arceſſere: adeo diſtendat laxam debilium fibrarum compagem, ut iis contexta arterioſa vaſcula compellat tandem effringi; nemo non videt, potiori nunquam remedio arceri poſſe tam praeſens Vitae diſcrimen, niſi ad efficaciorem Frigidae uſum quamcitiſſimè concedatur. Hac quippe tantùm effrenus quilibet Fluidorum motus poterit ſubitò compeſci: hac laxis Solidis robur debitum reſarcietur: hac proportionalem Sanguis repetet non difficulter craſſitiem: & hac ipsâ demum, naturali ſolida inter & Liquida reſtituto aequilibrio, non aegrè fiet, ut Vas diſruptum in ſeipſum reſiliendo aut omnino obducatur, aut forte ſuper productum Vul-

neri

neri Thrombum, novâ ſenſim deductâ Cicatrice, reſciſſa Canalis Extrema iterum coaleſcendo glutinentur.

Non minori enimvero felicitatis eventu frequentiores Frigidae Hauſtus mederi opportunè poterunt & iis Arteriarum ruptionibus, quas nimia Solidorum Rigiditas, eidemque germana ſoror Liquidorum Craſſities ſaepiſſime fere conſuevit progignere; per frigoris ſiquidem praeſentiam auctâ magis magiſque progrediente Solidorum criſpatione, perque aqueas particulas Sanguinem continuò ſubeuntes dilutiori evadente, factâque meabiliori Liquidorum craſſitie, Solida ad proportionalem Cruoris jacturam, majori niſu ſe contrahendo, obduci facilè poterunt: Liquida, fluidiora reddita, minùs impoſterum in vitioſam incident ſegnitiem: originem caeteroquin & cauſam quarumlibet ſanguiferarum Diſruptionum; Cunctis hinc ad normam redactis, nil ut deliret amuſſis, emerſiſſe è vadis, omnique ſe perfunctum periculo tunc ſenſerit aeger, ubi longiori fame, ſeveriori quiete, ſummâque virium debilitate obſtinaverit animo, ſuſceptam nunquam ſe deſerturum Frigidae Methodum, niſi Solidorum Fluidorumque motu repreſſo, ut vulnus iterum coeat, Natura tandem addiderit colophonem.

Quantum utilitatis hucuſque futurum

advertimus ab uſu Frigidae in Solidis reparandis, quorum debilior vel rigidior cohaeſio diſrupta penitus reddiderat, & fatiſcentia; tantumdem porro emolumenti fore ut ex eadem percipiatur fatendum erit, ubi ſalina Acrimonia Canalium aliquando effecerit eroſionem. Hanc nunquam tamen poſſe fieri, niſi a Fluidorum inertia excipiatur ſalina mordacitas, jam ſatis, ut puto, ex pracedentibus fuit ſignificatum. Sed cum nec Sales effici magis conſpicui, nec praepollere Fluidorum ſegnities poſſit ſine aquoſi laticis defectu; fiet inde facile ut quidquid aquoſae huic inopiae proſpiciens eoſdem ſales valuerit diluere, atque Inertiam ipſam diſſolvere, utramque certè paginam facturum eſſe aequiſſimâ ratione judicetur. Aquam ſedenim Menſtruum eſſe ex Chymicis omnium ſalium, eâdemque ipsâ quemlibet humorem denſum reddi poſſe fluidiorem quis unquam, cui ſapiat cerebrum, inficiabitur? Frequentes igitur, ſed parciores Frigidae Hauſtus: qui tamen Stomachi viribus reſpondeant: praeterquamquod Salium quorumlibet excedentium copiam facili poterunt negotio diluere; torpeſcentibus praeterea Fluidis motum opportunè reſtituent, omnemque ſegnitiem aut amovebunt ſenſim, aut omnino ſuperabunt. Praecipitatis hinc ſolutiſque ab aquoſo latice depaſcentibus particulis

culis, ſuper eroſum Vaſculum aut apponere Natura citra laborem poterit Glutinoſum balſamicum, aut Canali reſciſſo in ſeipſum renitenti majores auxerit vires, ut callo tandem obducto ſtrictiùs coarctetur, tenaciùs, & anguſtiùs obſtruatur.

Nec ultimum porro ſibi vindicaverit locum idem Frigidae uſus, ubi Canalis alicujus extremitas vel a Sanguinis nimia copia, & plenitudine, vel a nimio ejuſdem aeſtu aut fervore plus minuſve dehiſcens Cruorem nunc largiori, nunc parciori Rivo, quâ data porta, eructaverit. Per repetitas quandoquidem Sanguinis miſſiones quibus Cordis vis ſenſim debilitabitur: perque ſtrictiorem Diaetam, quâ novae ſanguinis generationi nova rurſus praepedietur occaſio; nae obvia & facilis ſeſe obtulerit adhibendae Frigidae Methodus, quâ compeſci, haud aegre quaelibet Haemorrhagia, Vas ruptum obduci arctiùs, ductâque Cicatrice Vulnus vel quodlibet poterit firmiùs ſtabiliùſque occalleſcere. Sic autem id futurum ut auſpicatò contingat, ſingula ex ſupra indicatis revincunt adjuncta, quae ſanguineam temperiem ſubſequi oppidò conſueverunt. Nec enim Plethora a rigidiori fibrarum cohaeſione, nec major fibrarum cohaeſio ab arctiori Sanguinis ſpiſſitudine fere in Praxi obſervantur disjunctae. Quoties igitur Aqueum

Flui-

Fluidum Hauſtuum iteratorum vi per Venas & Viſcera mixtim ſanguineam maſſam ſubierit, toties ſanguineos globulos a viſcidiori glutine ſine mora extricabit: toties omni ſemotâ Liquidorum ſtagnantium inertiâ motum deſidem inordinatumque in naturalem priſtinamque cursùs certitudinem expeditè reſtituet. Poterunt hinc generatim Solida innatam, quantum par eſt, nanciſci mollitiem, utpote exonerata torpeſcentium Fluidorum pondere, quorum plenitudine decurtata majorem cogebantut praeferre tenſionem: poterit & inde ſingillatim diſruptum Vaſculum, praeter ingenitam ſeſe contrahendi naturam, novam iterum per frigoris praeſentiam acquirere elaſticitatem, ut in ſeipſum faciliùs reſiliat, coarctetur magis, & ſtrictiſſimè penitus occludatur.

Quemlibet autem Fluidorum aeſtum aut fervorem compeſci quamcitiſſimè poſſe per eaſdem Frigidae potiones, tanquam Arcanum, aut veluti domeſticum Remedium, quilibet de Trivio Sellularius, aut Muliercula ſe in judicem erigit; ceſſit quippe in Proverbii locum aut adagium, Motum Caloris, Quietem Frigoris cauſam eſſe & originem. Ubi itaque per repetitos hauſtus celerem perturbatumque Fluidorum motum ſenſim Frigida cohibuerit, aeſtuoſos inde fervidoſque Sanguinis impetus ſuo ſibi jure neceſſa-

riò

riò coercebit , aut ſaltem majori ex parte ſiſtet, vel moderabitur . Imminutis ſic, ſeu veriùs compoſitis per ſummam *Quietem*, perque rigidiorem *Diaetam* iis omnibus inſoleſcentium motuum gradibus , qui diſrumpendo arterioſo vaſculo proximiorem dederunt anſam & occaſionem; rationi erit admodum conſentaneum ad uſum Frigidae obſtinatiùs provocare. Hac ipsâ ſiquidem per Thrombum fortè ſuperappoſitum aut diducta Vulneris labia glutinari facillimè poterunt: aut ultro in ſeipſum recudetur Vas diſruptum, quod aliàs partim depletum per praeſcriptas Sanguinis miſſiones , partim ſuâ ſponte emunctum per largiorem ex reſciſſo Vaſe Cruoris jacturam, innatâ ſibi texturâ & elaſticitate eò tandem contractionis & anguſtiae devenerit , ut vel penitus obduci oportuerit , vel omnino complanari.

Deprompſimus hucuſque , ut videmur, ſelectiora illa rationum momenta , quibus Frigidae vis aſſeri juremerito poteſt in quaſcumque Canalium ſanguiferorum Diſruptiones . Sed ne diverſam a Reliquis viam inire affectemus ant ambitùs ſtudio, aut gloriae tacti cupidítate , quòd ambitioſiùs fingamus nos longiùs proſpicere quàm Gygantum oculi, Auctorum teſtimoniis rem totam curabimus communire. Facturi aùtem operae pretium non Recentes tantùm ſed Vetuſtiſſimos

pro-

producemus, ut conſtet, non ab heri aut nudiustertius Frigidae Methodum pro qualibet ſiſtenda Haemorrhagiâ, proque vel quibuſvis compeſcendis Convulſionibus ſuam agnoviſſe originem, uſum plus minuſve obtinuiſſe frequentiorem. Hippocratem hujus Medelae Teſtem, Vindicem, & Propugnatorem praeſtabit cumprimis huc rurſus arceſſere; licèt quippe relata Uxoris Gorgiae Curatio ad id remedii genus confirmandum maximo debuerit eſſe argumento: quia tamen ingeminatis plus fere movemur exemplis, ingeminata hinc abs re non erit & tanti Praeceptoris in medium proferre Curationum ſpecimina, & ſanioris inde Praxeos documenta decerpere, ne ſupinâ nimiùm fide, aut acquieſcentis animi ſimplicitate in ea adhuc obfirmemur pulverum virtute, quos perperam venditare ſolent Cantores Formularum, quos ridiculi adſtringentium Remediorum Miſcelliones apud Popellum rudem vulgo cornicantur ineptè.

Hippocratis enimvero ſcopum in adminiſtranda Frigidae Methodo, ſi res certabitur, unum eundemque ſemper fuiſſe, captu facilè erit cuilibet Ejuſdem Curationes penitiùs conſideranti. Aut enim ad Convulſionem reprimendam appulit animum: aut Vaſorum quorumlibet reſciſſioni ab eadem Convulſione ſubortae praeſentiori, quâ potuit,

re-

remedii ope ſtuduít occurrere . Palam hinc fit, re alíquando praeſtitiſſe, ut Morbi cauſae proſpiceret : nonnunquam verò ſedulioˑrem dediſſe operam, ut Cauſae ſimul, & morboſo Effectui ſollicitè medico veniret ſubſidio. Exemplo eſſe poterunt non unus aut alter Caſus ab ipſomet Hippocrate relatus, in quo nunc Tetanum (*a*) ſeu rigidiorem totius Corporis contractionem, Frigidae auxilio reparavit : nunc autem & Convulſionem (*b*) ſive Ventris, ſive Uteri dolorificam, & Sanguinis Profluvium ex jam facta ejuſdem

(*a*) Aquam frigidam plurimam ſuperinfundito, & poſtea veſtimenta tenuja, pura, ac calida ſuperintegito. Hoc auxilium & ad Tetanos, & ad Opiſthotonos adhibere oportet. Hip. de Morb. L. III. n. 14.

Mulier ſana & obeſa ex medicamento conceptûs gratiâ deglutito ventris dolore, & Inteſtinorum torminibus conflictabatur, & intumuit: Spirandi difficultas inſtabat, & animi conſternatio cum dolore : Sanguinem paucum vomitione rejecit, & quinquies emortua eſt, uti expiraſſe videretur, ac neque vomitu ex aqua frigida dolor vergens aut ſpiratio remittebat. *Frigidae* verò fere amphorae triginta corpori affuſae ſunt, quod ſanè unicum opem ferre videbatur. *Hiſp. de Morb. vulg. Sect.* VIII.

(*b*) In hanc (cui ſcilicet Sanguis qualis recenter mactatae Victimae fluit, & imus venter attollitur, inflatur, induratur, & ad contactum velut ulceratus indoleſcit) ſi circa initia incideris cum dolor adfuerit, ſpongiam madefactam admoveto, & linteum rarum, molle, deraſum *Aquâ frigidâ* imbutum *Ventri injicito*, *Frigidàque perfundito*. Hipp. de Morb. Mulier. L. II. Sect. V.

dem Uteri Vaſorum reſciſſione per externam Frigidae admotionem aut ſenſim inhibuit, aut quammaxime compeſcendo refrenavit. Stat igitur ſemper, ſatiſque apparet, tunc potiſſimùm Frigidâ Hippocratem uti maluiſſe, cùm maximè urgeret periculum, ne Vaſa nimiùm tenſa, aut diſtracta illico diſrumperentur: & Frigidam iterum iterumque debuiſſe praeſcribere, ut per majorem inde inductam contractionem Vaſa alioquin reſciſſa faciliùs in ſeipſa reſilirent, arctiùs coarctarentur, calloſitate obdureſcerent. Hinc univerſali correptis convulſione univerſale Medelae praeſidium per Frigidae ſupra totum corpus affuſionem ſtuduit admovere: particulari autem divexatas Uteri diſtractione particulari etiam Frigidae applicatione, aut (a) frigidi Potùs exhibitione maluit ád priſtinam revocare ſanitatem.

Quod autem frigidae methodus & utiliſſima recenſeatur ad muſculares quaslibet Contractiones aequè ac ſalubrem eximiamque eandem deteximus in Vaſis jam reſciſſis, & cruorem plus minuſque eructantibus, operoſum fortè minimè erit illud ſuis vindicare rationibus, ſi ſemel abſtruſiores Convulſionum cauſas quoquo modo ſtuduerimus depromere. Nervorum Tenſio, muſcularium fibrarum Diſtractio, Rigiditas, Concuſſio, & ſi quae

(a) Vid. Hiſtor. Uxoris Gorgiae ſupra relat.

ſi quae ſint aliae hujus furfuris Convulſiones, quae a Vaſorum nimia plenitudine, vel nimiâ eorumdem inanitione, juxta ſaltem Hippocratis mentem, ſuam noſcant originem; inertiam ſemper vel Sanguinis craſſeſcentis, vel eroſivi Fluidi remoram in ultimis Arteriarum extremitatibus, ita ſuppetente ratione, videntur innuere. Si secùs enim hoc fieret in majoribus Canalibus, in quibus praeter Diſtractionem Reſciſſio quoque contingeret, nullum profectò occurreret effugium, quin Mors ultro citòque ſequeretur (*a*). Ubi primo itaque res modo contingat, Sanguis alicubi remoratus tumefaciendo arterioſa Vaſcula, quòd nequeat ſcilicet praeterfluere ulteriùs, fibras opprimet muſculares, nervoſque diſtrahet iiſdem intertextos; a qua oppreſſione, & diſtractione utrumque Muſculorum, Nervorumque Syſtema quo magis in latum tumefiet, eo minus diſtendetur in longum: quam contractionem ac turgeſcentiam excipiet inde neceſſariò convulſiva Diſtractio. Diſtractio íſthaec ſed enim atque compreſſio aut in eadem parte, quâ primùm orta eſt, ſubſiſtet, aut ultrà ſeſe extendet vel prolatabitur. Si ultrà: particularis hujus jam convulſae Pârtis Contractio, Venas compri-

(*a*) Periculoſa vulnera ſunt ubicumque Venae majores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt. *Celſ. Lib.* v. *cap.* 26.

primendo proximiores, Sanguinem a diſtentis Muſculis ad Cor tranſvehet niſu curſuque celeriori. Cor frequentioribus ictibus ad Loca a ſe longinqua eumdem protrudet, ubi caeteroquin illius impulſus cum magis magiſque debilitentur, minorem ſuffecturi erunt vim ad promovendos ulteriùs ſanguineos globulos, qui in ultimis arteriolarum anguſtiis lymphatico impliciti glutine jam & ſiſti debuerunt & adhaereſcere. Hinc nova alibi muſcularium fibrarum diſtractio, & Senſuum omnium quinetiam obtuſitas: maximè ſi ob nervorum magis auctam diſtentionem vel ipſum Cerebri Cerebellique reciprocum praepediatur commercium: hinc tandem Convulſio in una Parte incohata ſenſim ſerpere incipiet in omnes fere muſculos, unde totius corporis ſuborietur Rigiditas. Nec diſſimili ſanè ratione convulſivas par eſt credere cieri Tenſiones a nimia Inanitione, ubi maxima ſcilicet a quacumque cauſa praeceſſerit Fluidorum jactura; amiſſis ſiquidem oleagineis aquoſiſque Elementis ſuopte ipſa ingenio vires acquiret eroſiva Mordacitas: aliis aliiſque partibus molitura alioquin criſpationum perniciem, prout nimirum vel plus hìc factum fuerit Liquidorum diſpendium, vel magis ibi adhaereſcere inceperint eroſiva aut depaſcentia principia.

Hiſce jactis notionum momentis occurret

ret ſtatim in ipſos oculos ratio cur in Convulſionum Curationibus ad uſum Frigidae Hippocrates debuerit appellare ; aut craſſeſcentem ſiquidem Sanguinis plenitudinem, aut vellicantium Fluidorum remoram pro causâ muſcularium Diſtractionum maluerit inſpicere ; rationi ſemper & experientiae conſonum retegetur, Frigidae tantummodo uſu factum iri utramque paginam, ut momentoſo Tetani potiſſimùm impulſui eo praeſentiori medelae praeſidio ſtuduerit occurrere. Porro externâ Aquae ſuper univerſum corpus affuſione univerſam criſpari cutim, omniaque penitus obduci lymphaticarum Arteriarum orificia vel extimus oculorum intuitus nos facit certiores ; ſed iſthaec criſpatio proximioribus partibus ſenſim ſe prolatando majorem muſcularibus fibris conferre debet rigiditatem, novumque robur adjicere, ut venoſus ſanguis celeriùs ad Cor propellatur. Auctis ſic Cordis Viribus, ejuſque ictibus redditis magis magiſque frequentioribus, non difficili ſane negotio evinci, diſſolvique poterunt omnes illi renixus, quos modò Sanguis remoratus, modò ſalina haereſcens mordacitas in ultimis arteriarum confiniis pertinaciter efficiebant. Omni hinc amotâ causâ nervinarum Diſtractionum, omnique Preſſionum muſcularium obice penitus ſuperato, ſponte ipſe ſuâ quilibet motus ad naturale reſti-

reſtitui neceſſariò debebit libramentum. Sic Laxitas debita reddita Solidis, Liquidis Fluor reſtitutus facilior, liberumque commercium reparatum Nervos inter & Cerebrum, quamlibet ſive particularem ſive univerſalem Convulſionem, aut quamcumque etiam, ſiquae contigerit, Senſuum Obtuſitatem vel ſuperare penitus debebunt, vel omnino amoliri.

Accedit praeterea, ut rem preſſiùs attingamus, quod Frigidae contactus eoipſo quod nerveas papillas quoquo modo vel diluendo affecerit vel irritando, poterit ab ipſis non aegrè diſcutere quidquid forte erat in cauſa Inertiae Liquidotum: muſculares caeteroquin & nervinas Diſtractiones ubicumque producentis. Emollitis hinc dictarum papillarum extremitatibus, aut iis per novum Frigidae irritamentum Viis reſeratis, quae oculorum quemlibet effugiunt intuitum; non adeo magni profectò erit operis, ut motus uni Parti reſtitutus conſenſu ignoto ignotiorique ratione ad remotiſſimas quaſque Partes aut ſubitò propagetur, aut ſenſim percurrat, aut etiam mirum in modum expandatur. Caſus fortuitus, juxta nuperas ab inclyto Hallero relatas Obſervationes (*a*) quo aquis Submerſi ab Aëre in Anum per ſyphonem

(*a*) Albertus Haller in Notis ad Inſtitut. rei med. Her. Boerhaave §. 42.

nem injecto referuntur in Vitam quandoque revocati , quanti reputanda ſit vel leviſſima Solidorum Irritabilitas , maximo debebit eſſe argumento . Si enim immiſſus Aër modo nuper relato tunicas urgendo Inteſtinorum ſat virium valuit exſerere , ut organa quin etiam vitalia in priſtinum reſtituerit motum valetudinis ; quanto magis Irritans quodcumque vel innoxium , & maximè Frigida majoribus quàm ipſemet Aër debebit praeſtare viribus , potiori certitudinis eventu urgere poterit , ciere , aut penitus diſſolvere quidquid Iners, aut Salinum erat in causâ ſaeviorum efficiendarum Convulſionum ?

Suam ulteriùs & particularem meretur indaginem Modus , quo Elementa Sanguinis ſphaerica pluribus in Punctis continua aliquando fiunt , & ob amiſſum interpoſitum ſerum , a quo diluebantur , alicubi nonnunquam ſiſtuntur , aut ſimul unâ concreſcunt ; unde Convulſiones , unde Diſruptionum pericula . In hoc adeo ancipiti humanae Vitae diſcrimine nemo certè validiori uti poterit auxilio , quàm ad externam Frigidae admotionem opportuniùs confugere . Si enim ex Notatis ejuſdem Frigidae contactu quaelibet exhalantium vaſorum obducuntur orificia , donec ſaltem ab aquae praeſentia pefrigeratae aut humectae fuerint Partes , nulla ex iis ſeq inde aquoſi vel halituoſi Fluidi jactura :

na vicinarum partium humiditas non imminuetur: & quidquid vel per ſenſibilem vel inſenſibilem tranſpirationem diſperdi antea conſueverat, cogi neceſſariò retinerique debebit in propriis canalibus. Senſim hinc Elementa Sanguinis ſphaerica a non diſperſo aquoſo Liquido extricabuntur, priſtinumque repetent motum: ſenſim & inde criſpata Solida emolliri, laxarique incipient, unde omnis evaneſcet Convulſio, & Diſruptionum occaſio; contra ac fieri obtinuit in Balneo calido, in quo ex Sanctorianis Experimentis qualibet vice Unciae circiter viginti difflantur è corpore: unde ea erumpit dolorifica Fibrarum Rigiditas, qnam externus quilibet Calidorum uſus ſaepiſſimè fere conſuevit excipere.

Curta iſthaec Rationum minimè repudiandarum ſupellex majori ſanè praeſtare debebit ſuae certitudinis robore, ubi praeter allatas ex Frigidae Methodo Curationes clarioribus Doctrinae teſtimoniis aut illuſtrabitur, aut cauſis apertiùs enodatis faciliùs intelligetur. Id autem ut citra laborem aſſequamur Hippocratis rurſus veſtigiis obnixiùs inſiſtentes, quam Ille rationem reddat de Frigidâ in Convulſiones adminiſtranda ſtudio cumprimis diligentiori praeſtabit expendere. Juvenem porro obeſum, aeſtate media, nervinis correptum diſtentionibus, & Frigidae curan-

curandum affuſione profert in exemplum : & ne vel cujuſpiam impenſurae noxae, vel temerariae Novitatis ab aliquibus fortè argueretur Umbraticis, addit ſubitò (*a*) *Calor autem haec ſanat* . Animum igitur minimè fugit tanti Praeceptoris, Fibras quaslibet muſculares noſtri Corporis ita eſſe à natura comparatas, ut quandiu vivimus, tamdiu oſcillatorium, & periſtalticum motum, plus minuſve, integrum tueri debeant & incolumem: immo vires ſubitò nacturae ſint eo pollentiores, quò diuturniori Frigidae contactu madefient, contrahentur, urgebuntur. Ob frigoris itaque criſpationes ubi eaedem Fibrae in robur hoc majus ita fuerint redactae, majori etiam niſu & celeritate ſuos in Fluida ingeminare debebunt impulsùs: Fluida crebrioribus Solidorum ictibus obtemperando, elabi longè latèque debebunt curſu motuque perniciori. Hinc major Sanguinis velocitas, Attritio Partium vehementior & promptior denique *Calor* (*b*) qui nempe diſſolvere, eluere, & amovere omnino poterit quidquid ex inertia

H tia

(*a*) Quandoque in Nervorum diſtentione abſque ulcere in Juvene quadrati corporis, aeſtate mediâ Frigidae copioſa perfuſio caloris revocationem efficit : *Calor autem haec ſanat. Hipp. Aphor. xxi. ſect. v. et de Liq. uſu n. xi.*

(*b*) Poſt Calidae uſum Corpus perfrigeratum magis frigeſcit: & poſt Frigidae uſum contractum magis recaleſcit. *Hipp. de Liquid. uſu.*

tia Liquidorum ad nervinas gignendas diſtentiones non minimam partem tenebat momento ſuo ponderandam.

Creſcet ſed enim argumenti pondus & ratio ubi ſemel in remotiores Septemtrionis Incolas oculos attentiùs conjecerimus; ſi enim ſaevioribus potiſſimùm Hyemis temporibus Illorum Manuum, Pedumve Extrema fere ſemimortua prae frigoris inclementià rigeſcant, nullum certè potius, tutiuſque remedium praeſtò eſſe poterit, quàm ut reliquo bene tecto Stragulis corpore Membra aliàs ſemiviva aut Nive diutiùs fricentur, aut ſtato ſaltem tempore operiantur. Sic debitus citò reſtituetur, immo ſenſim augebitur elaſticus motus iis Partibus, quae (*a*) propediem fuiſſent alioquin vitâ defecturae. Sic progreſſivam inertiora Fluida iterum nanciſcentur motionem, & ex debita Solidorum actione reparatâ, Fluidorumque Reactione rurſus acquiſita ſponte ipſe ſua cieri debebit Partium Attritus, unde Calor is à magno Hippocrate indicatus, qui Effectus licèt ſit, externis tamen ſenſibus omnium Secretionum, omniumque humanae Vitae motuum videtur ſibi vindicare primatum.

Frigidae uſum ad mentem Hippocratis aſſeruimus hactenus uti excellens & eximium Reme-

(*a*) Jam verò etiam quibuſdam pedes perfrigerati deciderunt ex Calidae affuſione. *Hipp. de Liq. uſu.*

Remedium ad quamlibet pigrescentium Fluidorum crassitiem, & ad quamcumque salinae Acrimoniae mordacitatem: Causas maximè aequè aptas ad convellendum & disrumpendum, ac idoneas ad urgendum, & dilaniandum Systema quodcumque Solidorum. Sed ingenuos Nos veritatis cultores fateri sanè minimè piget, alios aliosque passim occurrere ejusdem Hippocratis Textùs, qui re, doctrinâ, & exemplis assertae hucusque Frigidae Methodo aut magna ex parte repugnant, aut omnino adversantur. In hac tam dubia & ancipiti oppositae doctrinae opinione non ii certè sumus propositi tenaces usque ad obstinationem ut obtorto quinetiam Collo Hippocratem, nobiscum alibi dissentientem, & huc invitum ad nostram trahere velimus sententiam. Neque enim illi obaerati videri malumus imaginario principio, quod Vir tantus aut errare fuerit nescius, aut Vertumnis natus iniquis hìc affirmando, ibi negando, tergiversantis revinci debeat ingenii. Proni potiùs ac lubentes eò propendemus, ut alia Tyro, ac Juvenis, alia Annosus & meliora doctus in propria retulerit Commentaria. Disparem porro aetatem disparia studia sequuntur, & quae Imberbes affatim didicisse putavimus, cogimur quandoque Senes perdenda fateri. Hinc abdicatâ minus fidâ Calidorum Methodo, quâ primo forsan Juventae flore pro

Convulſionibus quibuſvis compeſcendis accuratiſſimus Senex uti conſueverat, ad uſum tandem Frigidae, promiſſis meliùs reſpondentem conſilio maturiori provocavit, eumque ad ultimum uſque Senium forſan etiam retinuit. Revincitur hujus Veritatis integritas a frequentiori ac multiplici Curationum numero, quae Factis Doctriniſque repetitis in potiorem Frigidae Methodum ab ipſomet Hippocrate recitantur: contra ac advertere contingit in limitato, ac reſtricto Convulſionum reparandarqm cenſu, quae Διδασχαλίαν quandam tantum retinentes, certam tamen Facti cujuſpiam fidem nullatenus praeſeferunt. Non iſta tamen dicta malumus, ut concitare in tantum Praeceptorem velimus aut invidiam temerariae volubilitatis, aut Notam iniquam, aut turpem ſupinae Ignorantiae. Apage a tanto Viro tantam contumeliam. Et illud quippe conſtare ſibi jure potuit, ut relatae doctrinae in deſcriptos ab Eodem Tetanos nerveaſque diſtentiones utramque Calidorum uſu facerent paginam; & reſpectu forſan habito ad aetatem, humorum temperiem, regionem, & Anni tempeſtatem quidquid fortè ab Inanitione nimiâ contrahebatur, acerrimis in vappidiora Fluida calidiſque adhibitis remediis robori tandem priſtino naturalique reſtitueretur.

Nobis porro ad finem properantibus iſta dicta

dicta sufficerent, nisi ex eodem Hippocrate, quem Frigidae Ducem maluimus & Antesignanum, Gordius forte Nodus adhuc occurreret extricandus. Tamquam Gorgonis Caput oggeri quandoquidem solet vetus illa & ad nauseam usque toties repetita Cantilena (*a*). Aquam ad Nivis & Glaciei fere algorem frigescentem Pectori esse infestissimam, Sanguinis profluvium extundere, Tusses movere, & rheumaticas progignere aut etiam fovere pertinaciter consuevisse distillationes. Si in sartis tectisque Canalibus certas a Frigidae abusu posse aliquando fieri Vasorum sanguiferorum ruptiones, jure monitos nos voluit Hippocrates, cur in jam erosis aut resciffis sanguiferorum pulmonalium vasculis per novas Frigidae potiones nova facti vulnusculi non erit prolatanda dehiscentia?

Hoc argumentum quod tanti sit, tanti non est, ut nos vel invitos in quacumque Haemoptysi amovere possit a suscepta Frigidae methodo administrandâ. Ut brevi tamen res tota qaeat confici, singula quaeque locum teneant sortita decenter, sejunctisque consultò iis Pectoris morbis, in quibus Frigidam modò juvando admitti, modò laedendo rejici Ratio & Experientia suggessit; non adeo

(*a*) Frigida quasi Nix & Glacies Pectori inimica: Tusses movet, Sanguinis profluvium, & distillationes. *Hipp. sect. v. Aphor.* 24.

adeo contorta res erit aut difficilis, ut ejusdem Frigidae usum ad certam tandem medendi methodum opportunè reducamus. A Tussi juvat exordiri utpote prodromâ fere omnium disruptionum, quas Sanguinis profluvium solet quamsaepissime excipere. Haec juxta communem Clinicorum observationem aut *Humida* vulgò haberi debet, aut *Sicca*: Altera a lymphaticis pulmonum pendens farcturis: Altera a pulmonalium arteriarum plenitudine, vel ab acriori, & salina Liquidorum mordacitate propriam ducens originem. Prima nunquam meliùs quàm calidis vel tepentibus, iispue repetitis potionibus solet fere superari, aut saltem magna ex parte compesci: Secunda cum naturam omnino suboleat particularis Convulsionis, & *Convulsiva* reapse à Plerisque appelletur, nullo unquam poterit cohiberi remedio praesentiori, quàm ut, iteratò praemissis Sanguinis missionibus, usu tantummodo Frigidae quamocyssimè curetur expungi. Externus Frigidae Contactus quanti habendus sit in Convulsiones, affatim, ut puto, jam fuit supra demonstratum: quidni internus per iteratas potiones eumdem efficaciùs erit praestiturus effectum? Nunquam igitur Aquam Nivis aut Glaciei instar algentem, tanquam Pectori semper inimicam, proscripsit Hippocrates, sed tantùm rei modum imposuit: Proscripsit quippe

in

in humorali Tuſſi, inque iis meritò advertendis Adjunctis, quae praeter Tuſſim Febrim etiam inflammatoriam non infrequenter comitantur: quibus profectò in Caſibus piaculum foret omnibus precibus deteſtandum abuti Frigida, cum Pulmonem jam phlogoſi forſan correptum criſpare queat magis, & hinc perrumpere; unde Sanguinis profluvium ominoſum, quod meritò per citatum Textum erat reformidandum: Admiſit verò in eo rerum concurſu, ubi ſub ficto Tuſſis involucro, Febrique abſente, Convulſio a Vaſorum plenitudine, aut ab Acrimonia Fluidorum nimia dependens Canalis potiùs alicujus diſruptionem, & mox etiam Inflammationem potuit comminari.

Rem ita ſe habuiſſe pleniſſimè declarat Vomitus Sanguinis ſine Febri, ſalutaris alioquin ab ipſomet Hippocrate judicatus, cujus profectò ubi debitam ſubnectit Curationem, *Refrigerantibus* tantùm *&* (*a*). *Adſtringentibus* gliſcentem illius morbi perniciem aut ſenſim cohiberi, aut omnino depelli poſſe, luculentiſſimè fatetur. Sed quid refrigerare magis, quid magis adſtringere unquam poterit quàm repetitus Frigidae uſus. Iſthaec porro

(*a*) Qui ſanguinem vomunt, ſi ſine febre accidat, ſalutare eſt: ſi cum Febre, malum. *Curatio verò refrigerandi, & adſtringendi vim habentibus perficitur.* Hipp. Sect. VII. Aphor. 37.

porro suâ sponte profluens Interpretatio neque precaria, neque ea, quam sibi ex suo cerebro quis procudit, haberi debet. Quisquis enim in Lectione Hippocratis non leviter versatus penitiùs ejusdem mentem perscrutabitur, facilè advertet, adeo ab illius sententiâ alienum fuisse Usum Calidarum, ut sive eae per modum Potùs, sive ad Balnei mollitiem praescriberentur, illarum semper abusum metuerit, damnaverit, Notamque non unam censoriam iisdem inusserit. Aphorismum sextumdecimum Sectionis quintae expedit hisce nostris animadversionibus attexere „ *Calidum*, habetur ibi, eo frequentiùs
„ utentibus has adfert noxas, Carnium ef-
„ feminationem, Nervorum impotentiam,
„ Mentis stuporem, *Sanguinisque Profluvia*,
„ Animi defectiones, ad quae Mors sequi-
„ tur „. Si igitur inter quamplurima, quae a Calidarum abusu ibi recitantnr incommoda, Sanguinis etiam eruptiones, immo Mors ipsa apertissimè recensentur; fieri inde necessariò debet, ut in quavis sanguinis effusione a Calidis praescribendis par sit credere semper omnino abstinuisse praecitatum Hippocratem. Ad ea itaque opus habuit appellare, quae contrariâ penitus virtute operari consueverunt. Sed haec quisnam non videt ad alium censum referri unquam non posse nisi ad simplices easque continuatas Fri-

gidae

gidae potiones ? Inolitum Calidarum abusui est, Sanguinis producere effusiones: easdem igitur coercere, & adstringere tantùm poterit usus potionum frigidarum. Calidae quia innatâ vi quaelibet rarefaciunt Fluida, cruorem ex aperto canali quamfacillimè extrudunt: Frigidae repetitus usus, cum Solida crispando obstringat, & motum Fluidorum compescendo moderetur, (*a*) non aegrè poterit Vas reclusum obducere & sanguinem ab aucta per Calidarum abusum rarefactione insolescentem necessariò debebit coercere. Sed Calidarum abusu in sanis integrisque corporibus periculum subest, ne subitae erumpant haemorrhagiae: usu contra Refrigerantium & Adstringentium, juxta Hippocratis oraculum, vel Vomitus sanguineus aut frenari penitus debet, aut magna ex parte compesci; si Frigida ex Notatis utrique adamussim refrigerandi adstringendique respondet effectui, hanc sanè tantùm & quibuslibet Sanguinis eruptionibus, & Vomitibus quibuscumque sanguineis, Experientiâ Rationeque ducibus, consulere, mederique posse jam satis, ut remur, fuit hucusque significatum. Addas denique quod si in ea Sanguinei Vomitus Curatione pro eximio, ac praestantiori Remedio Refrigerantibus &

(*a*) Quae frigefaciunt fluere prohibent. Hip. Lib. de Fist. num. 6.

Adſtringentibus uti debere explicitis documentis indixit Hippocrates, eâ porro loquendi formulâ ac ratione ſtylum videtur adhibere maluiſſe paraphraſticum, & ne Frigidam ſimpliciter diceret, Frigidae, Adſtringendi Refrigerandique vi maximè praeditae, tropologicè ſignificavit effectus.

Ad id quammaximè accedit quod ſi Vomitum ſanguineum, qui ſuo ſibi jure particularem Stomachi aſſerere neceſſariò debet Convulſionem, refrigerantibus adſtringentibuſque Gelidae potionibus tempeſtivè curandum eſſe ſubindicavit Hippocrates; hoc uno remedio porro conſultum voluiſſe par eſt credere duplici Mortis jam forſan impendentis diſcrimini: ne aeger ſcilicet jugiter vomituriendo aut convulſus omnino, aut cruorem aſſiduè rejiciendo exanguis paſſus & exſuccus uſuram tandem lucis amitteret. Palam hinc fit, Frigidae uſu proſpicere maluiſſe & morboſae cauſae, & effectui inde ſuborto nequiori; nam Cauſam Couvulſio praevia, Effectum Vaſorum jam facta reſciſſio clariſſimè produnt. Utraque ſed enim cum ſolidorum criſpationem, utraque cum Fluidorum plenitudinem, aut Acrimoniam revincant; utriſque ſanè conſulere mederique citra noxam poterunt frequentiores Frigidae hauſtus, prout facilè patere id debet cuilibet rem preſſiùs propiùſque conſideranti.

ti : Rationes autem quas Frigida ſibi jure vindicat in quamlibet Convulſionem , & quodcumque Sanguinis profluvium pudet hìc rurſus pluribus urgere vel illuſtrare ; nam necat & miſeros Crambe repetita magiſtros.

Mirari hìc autem ne ſubeat quod in Hippocratis Textubus vindicandis longiores fuerimus , quàm fortè noſtrae hujus diſſertationis ratio ferre videatur ; quoniam quò tutiùs & faciliùs progrederemur, firmiùs figenda erant prima veſtigia : & Hippocratem quem aliàs adminiſtrandae Frigidae uſque ab initio Vindicem aſſeruimus & Defenſorem, aequum jure erat , ut in ancipiti aliquâ , aut dubiâ Ejuſdem Lectione in commodiorem ſenſum , & Hippocraticâ doctrinâ dignum ſolertiori curâ ſatageremus adducere . Opus interim exaedificaturi quod inſtituimus non ad eos tantùm Auctores poſthac conabimur appellare , qui pro diverſis profligandis morbis Frigidam auſpicatò adhibuerunt ; ſed ex iis quinimmo illos ſeligemus, qui recto illius uſu magnam Pecuniae vim, publicos Honores, ſummaſque Dignitates ſibi compararunt .

Exemplo erit Aſclepiades , ſagacis Vir ingenii , qui in diverſa partium ſtudia ſuis advertens temporibus Medicinam nutantem ad Naturae tandem ſimplicitatem , *Diætam* ſcilicet , *&* *Corporis Exercitationes* ſtuduit

eamipſam redigere. Ablegatis hinc imaginariis morborum cauſis perperam fortè ab Herophilo eouſque per ſomniatas, ut fit, hypotheſes declaratis; Vinique uſu reprobato, quem aliàs commendare conſueverat Cleophantus, Ipſe ſicui morbo arceſſeretur iturus ſuppetias, Frigidâ pro certiſſimo tempeſtivè utebatur Arcano: Utque Facti rumor increbreſceret, immo *ſe Frigidá dandâ praetulit cognominari*. Hac ſanè innoxia ſimplicique curandi ratione (*a*). *Faventibus cunctis ut eſſent vera, quae facillima erant, univerſum prope Humanum Genus circumegit in ſe, non alio modo quam ſi Coelo emiſſus adveniſſet.*

Non minorem porro honorem ſibi peperiſſe Antonium Muſam conſonum videtur rationi, ubi in fere conclamatâ Auguſti aegritudine caſsâ nuce inutilius cum quodlibet tentaſſet medicamentum, Facti tandem conſcius a Calidis afflictari magis Imperatorem, uſu tantummodo Frigidae (*b*) ab Orci faucibus exemit. Tam magno hinc obſtrictus beneficio munificentiſſimus Princeps non ingenti ſolùm pecuniae vi optimè de ſe meritum donavit Archiatrum, publicamque eidem Statuam decrevit; ſed Aureum quinimmo detractum è digitis Anulum, quem fortè

(*a*) *Plin. Lib.* 26. *cap.* 3.

(*b*) Quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus. *Svet. in Auguſt.*

tè geſtabat, quique aliàs Inſigne tantummodo Senatorum erat Equitumque Romanorum, humaniſſimè ſuo porrexit Liberatori. Latum inde privilegium de Medicis eſt (*a*), ut quod in Unius gratiam Anuli publicè geſtandi Decus conceſſum foret & Ornamentum, promiſcuè deinceps participarent Omnes, qui in medicam quoquo modo facultatem inaugurarentur Doctores. Sed è diverticulo in viam, quoniam nec vacat nec lubet ſingulos hìc recenſere, quibus proſperâ Frigidae adminiſtratione non ſemel honori fuit munificentiorum Principum animos ſibi arctiſſimè demerendi.

E' re igitur uſuque noſtro erit eos hìc potiſſimùm in medium proferre Auctores, qui Frigidâ peculiariter uſi ſunt cùm ad frenandas Convulſiones, tum ad ſiſtendum quodcumque Sanguinis profluvium, in quorum cenſu non ultímùm profectò ſibi vindicare meretur locum Cornelius Celſus, Hippocrates latinus, Ciceroque medicus vulgò ſic appellatus. Hic ubi varia deprompſit remedia tunc maximè eximia habita ad quaslibet uterinas cohi-

(*a*) Porro cum idem Auguſtus cum Vitae periculo aegrotaret, jamque conclamatus videretur, Saluti ab Antonio Muſa eſt reſtitutus, quo nomine Pecuniâ eſt ampliter donatus, & Anulo Aureo, quoniam erat Libertus. Conceſſum & idem juris non praeſentibus modò, ſed & futuris, qui Medicos ſe profiterentur. *Coelius Rhodig. Lib.* VI. *Antiq. Lect. cap.* 12.

hibendas nervorum diſtractiones, Hippocraticae fortè memor doctrinae ad externam (*a*) tandem Frigidae profuſionem rem totam traduxit. Hac unâ quippe futurum ſperavit, ut ſaevioribus devictis ſymptomatibus exanimae praefocataeque Mulieres ad priſtinam iterum reſtituerentur ſanitatem: hancque ipſam rurſus nunquam non proponens (ubi in genere potiſſimùm de iis agit Remediis (*b*), quae ſanguinem ex vaſe diſrupto valent ſupprimere) cruori quinimmo a Tuſſi fere ſicca erumpenti iterum iterumque edicit (*c*), ut repetitis Frigidae hauſtibus ferre opportuniùs ſtudeamus ſuppetias. Nec ab eadem porro curandi methodo tranſverſum recedit unguem ſiquando (*d*) per Spongiam Frigidâ imbutam vulnerique impoſitam ſanguinem inde proſilientem ſiccis enititur linamentis quamocyſſimè cohibere; factus enim certior internâ Frigidae potione quaſcumque fere reparari poſſe canalium ſanguiferorum reſciſſiones, quidni per externam Frigidae admotionem in vulnus jam factum auſpicatiorem eo faciliùs conſequuturus erat eventum?

A Celſo non abludit Aretaeus, nam ſi Gelidam in Sanguinis Rejectionibus, ineptè for-

(*a*) *Celſ. Lib.* IV. *cap.* 20.
(*b*) *Idem Lib.* V. *cap.* 1.
(*c*) *Idem Lib.* IV. *cap.* 4.
(*d*) *Idem Lib.* V. *cap.* 26.

fortè meticulosus, non est ausus praescribere, suppressurus tamen ejusdem Profluvium *Alimenta* (a) *vel ad tactum frigida*, & *Aerem pro Respiratu frigidiorem*, *ne scilicet Calor sanguinem proliciat*, districtiùs imperare studuit aegrotanti. Neque eumdem certè tranversum agit ipsa Frigidae Methodus, ubi Choleram: morbum caeteroquin inter Convulsionum genus perniciosissimum: debitis cautionibus enixè dat operam ut sollicitè moderetur; cunctis siquidem tentatis quae jure meritòque dolorificas hinc inde serpentes debuerant Alvi emollire distentiones, ut (b) *Vomitui* tamen prospiceret *bilioso*, *Stomachi fastidio*, *Anxietati*, *Viriumque labefactioni ad duos aut tres Aquae frigidae Cyathos* debuit tandem necessariò provocare.

Aretaeo concinit Oribasius, Juliani Apostatae Archiater: Principis alioquin ut omnium doctrinarum amantissimi, sic in Sacras Literas, quas nunquam non odit, infensissimi hostis. Hic cum Imperatoris jussu selectiores antiquiorum Medicorum Libros in unum Volumen contraxisset (quorum aliàs scripta temporum deinde injuriâ perierunt) bonis demum accidit avibus ut ex iis Unum aut Alterum, qui speciatim de Frigidâ scripsere, in suum strictim retulerit Commenta-

rium

(a) Aretaeus de Sang. Reject. cap. II.
(b) Idem acutor. morbor. Curat. *Lib. II. cap.* 4.

rium. Libro hinc quinto cap. XXIX. inter vetustiores Clinicos Potionum gelidarum fautores Herodotum recenset & Antyllum. Alter quia Frigidâ uti consueverit *pro singultu compescendo, proque iis, qui Sanguinem fundunt*. Alter quia eandem adhibuerit in subortas a Calidarum abusu Stomachi subversiones. Hisce sed enim fisus Auctorum testimoniis, quae Frigidae vim magis magisque adstruunt tam pro Convulsionibus cohibendis, quàm pro quibuslibet frenandis haemorrhagiis, progreditur ulteriùs ad varias examinandas rationes, quibus utplurimùm Remedia queunt Vas quodlibet disruptum coagmentare: cumque satis consideratè advertat, a nimia Fluidorum ebullitione sanguiferos non infrequenter effringi posse canales, illico hinc subdit (*a*) *Aqua frigida sanguinem sistit refrigerando*.

Huic enimvero sententiae pronus ac lubens deinde assensit Paulus Ægineta, (*b*) utpote studiosissimus Oribasiani Operis compilator; verùm quod Hic stricto collegit calamo, latiori postea, more suo, in Frigidæ usu commendando luculentissimè explanavit Aëtius (*c*) Brevior est Textus, ideoque dignus

(*a*) *Orib. Lib. X. cap. 22.*

(*b*) *Paulus Ægineta Lib. III. cap. 23. & Lib. V. cap. 66.*

(*c*) *Aët. Lib. III. de re med. T. p. Pag. 127.*

gnus qui huc opportunè referatur . ,, Aqua
,, frigida, ait Ipse, ad dolores capitis, ad
,, oculorum hebetudines, Epilepsiam, Arti-
,, culorum morbos, tremores, resolutiones
,, confert, praecipueque Mulieribus . . . .
,, Facit & ad nimios sudores universasque
,, redundantes Inanitiones, & *Eruptiones San-*
,, *guinis vel a Vulnere, vel a Naso, vel ab*
,, *alio quocumque loco.* ,,

Postremò: idque sit pro coronide, licèt a proposito declinet res aliquantulum, non minor profectò Utilitas a frigido erit repetenda Lavacro, quàm a noxio Thermarum abusu oporteat Salutis detrimentum quandoque deprecari. Balneum quippe frigidum, Agathino teste (*a*), robur addit Corporibus, coquendorum ciborum facilitatem conciliat,

K & vá-

(*a*) Qui autem hunc brevem Vitae cursum sani cupiunt transigere, Frigidâ lavari saepe debent; vix enim verbis exequi possum quantum utilitatis ex frigida lavatione percipiatur: quod in causa est, ut qui Frigidâ lavantur etiamsi Senio propemodum confecti sint, corpore tamen constanti & compacto, & colore florido comperias, & omnino qui multum virilitatis & tenoris praeseferant. Quinetiam quae ad appetitiones concoctionesque pertinent firma, sensusque plerumque integros & exquisitos, &, uno verbo, naturales actiones rite constitutas habent. Qui verò Calidâ lavantur, Carnes flaccidas, fluidasque solent habere, & colorem aversum, & tenore videntur enervati esse, malèque cibum appetere, atque omnia habere caeteris deteriora. *Agathin. de calid. & frigid. Lavat. Relat. ab Oribas. Lib.* x. *cap.* 7.

& vesculo gracilique Corpori floridum quinetiam colorem solet impertiri. Contra iis accidisse proditur, qui calidorum Balneorum usum ad libidinem usque frequentant, in dies enim vires sibi reddunt enerves: Stomacho debilitantur: & fere plus minusve faciem praeseferunt decolorem. Eximiae huic frigidi Lavacri virtuti non aegrè inde subscribit & Celsus alibi citatus (a), ubi enim remedia proponit in Fluxum vetustiorem, qui ab excretoriis aliquando Prostatarum Ductibus morbosè prorumpit, *Natationes in Aqua frigidissima*, *Perfusiones repetitae*, *& Cibi Potusque vel ipsi frigidi* enixè admonet, ut opportuniùs adhibeantur. Et sanè abhorret a fide tantum latuisse Virum, tunc nempe Seminalis jacturae sperandam fore cessationem, quando & ubi diutino aquosi laticis contactu futurum contingeret, ut laxatis Vasculorum orificiis pristina redderetur elasticitas, & Excretorii Spermatis Canales (ne demum res Tabe desineret) in antiquum firmum, stabileque robur iterum restituerentur. Non igitur vel primis iis Medicinae temporibus solertiores unquam defuere Clinici, qui mallent naribus uti, tricarumque dialecticarum senticeto neglecto Hippocratis firmiùs inniti studerent morborum Observationibus, & ex iis simpliciorem medendi methodum potiùs ex-

(a) *Cels. Lib.* IV. *cap.* 21.

excerpere, quàm tot vanis, imaginariis & forſan noxiis auſcultare remediis, quibus paſſim confarcta obſervantur Volumina Hypotheticorum perperam fortè vel ridiculè nugas quiſquiliaſque ſomniantium.

Si tanti enimvero fecerunt uſum Frigidae Auctores praecitati eo ſolùm ducti naturae conſilio, quod Frigore omnia fere Liquida coaleſcendo ſiſtuntur, quid ubi tot anatomicis imbuti fuiſſent notionibus, tot Motuum Leges edocti, quas ſolers, patienſque magnorum Virorum Induſtria poſtmodum detexit, quas portentoſa, ac quaſi divinitus Literario Orbi communicata Experimentalis Phyſica in apertum veluti campum affluentiùs produxit? Mirari hinc igitur minimè ſubeſt, quod Frigidae Methodus magnis animis cepta proinde ſit agitari, propalam proferri, ulniſque quaſi obviis a Clinicis melioris notae in uſum jam nunc excipi frequentiorem. Nova ſiquidem novorum Inventorum cognitio novos certè addere debuit animos ad quidlibet audendum: illud modò ſit ad rationis amuſſim rite conformatum, & Promiſſis reſpondeat: quidquid unquam blaterare Alií velint ingenio ſcrupuloſiores perperam fortè vel obſtinatiùs diverſa ſequentes. Saniori igitur eo ducti conſilio, atque anathomico-mechanicis obnixiùs inhaerentes Doctrínis Hippocraticam demum Fri-

gidae Methodum inclyti noſtrorum temporum Viri, Antonius, & Virgilius Cocchi, Petrus Antonius Michelotti, & Martinus Chiſi iterum receperunt, explicarunt, illuſtrarunt: quorum porro Rationum momenta faſtidio conſulentes piget huc rurſus adſciſcere; cum integrum debeat eſſe cuilibet ab eruditis Cortonenſis, & Bononienſis Academiae Collectaneis ea ipſa ſeligere, & a Chiſianis Medico-etruſcis Epiſtolis maturiores inde excerpere Animadverſiones.

Malè ſed enim reſiſtit qui propriam cauſam alienis tueri ſtudet opinamentis; germana quippe Medicina anteſignanam mavult Veritatem, non Auctorum voluntatem: & ubi ex ingeminatis Morborum Obſervationibus Remedii inde petiti auſpicatius ſibi conſtiterit Experimentum, jam non erit quod a propoſito unquam amoveamur, eſto objectorum turbae quandoque praevideantur aut vexationes. Tanti profectò apud Nos valet uſus Frigidae pro qualibet compeſcenda Haemorrhagia, quanti promiſcuè haberi vulgò ſolet Uſus Peruviani Corticis ad ſingulas periodicas Febres quoquo modo eliminandas. Nec autem incertum, nec periculoſum, nec temerarium videri Aliquibus fortaſſe debeat hocce Pronunciatum; Nam ſi veterum Auctoritas Clinicorum, ſi Rationum relata congeries proſperum adhuc Frigidae exitum minus forte vindicaverint, Hiſtoricae tandem

Hae-

Haemoptoicorum Curationes, quas hìc juvabit ſubtexere (quodque aliàs tertium erat noſtrae hujus Diſſertationis argumentum) futurum porro ſperamus, ut pleniorem vel apud illos ſint fidem adepturae, qui nodum & in ſcirpo quaerunt, quique arreptae opinionis aleam ludere, quam vertere malunt. Ut autem munus hoc accuratiùs valeamus obire, non eos tantum proferemus aegrotos, qui variis temporibus noſtro ſeſe commiſerunt regimini, quoſque magna ex parte notaſſe neglеximus, utpote de hoc ſcribendo Opuſculo nil tale unquam fuimus antea meditati; verùm Alios quinetiam Alioſque producemus in medium, quos Sanguinis correptos profluvio Frigidaeque auxilio in Noſocomio Sancti Spiritus integrè ſanatos pro humanitate ſua Nobis ſuggeſſit Excellentiſſimus Dominus Joſeph Maria Speranza, illius Archioſpitalis Medicus Primarius, familiari veterique Amicitiâ Nobis conjunctiſſimus, rerum Medicophyſicarum dijudicator ingenuus, & ſimplicioris medendi Methodus aliàs obſervantiſſimus Clinicus. Sic enim futurum confidimus, ut adhibendae Frigidae Methodus in privatis tantùm domibus a Nobis hactenus inſtituta, in Archioſpitali impraeſentiarum publico caeteroquin recepta, non ampliùs ſanè privatum, ſed publicum, illudque efficacius momentum habere debeat & Rationis atque Auctoritatis.

Variis

Variis Variorum Haemoptycorum Historiis Frigidae usus, cujus vis in quacumque Haemorrhagia sese apertissimè exserit, fusiùs revincitur, ac confirmatur.

Historia I. Anni 1741.

DOminus Hermenegildus Floriani ex Parochia S. Nicolai in Archionibus, professione Legulejus, temperamento sanguineo-biliosus, Genio melancholicus, aetate annorum circiter triginta, postquam nescioquid absoluturus negocium, festinis passibus ambulando anhelus diù exsudasset laborem; Tussi corripitur inopinâ, siccâ, & inani, quam frequens ac copiosum Sanguinis Sputum, improvisò consequitur. Arcessitus Medicus repetitas illicò jubet sanguinis missiones, oleosisque præmissis medicamentis ad pulveres vulgò stipticos, potionesque adstringentes curâ confugit solertiori. Plures pluresque dies isthaec constanter obtinuit instituta methodus, sed cum nihil penitus conduxisse videretur animum jamjam despondenti aegrotanti, Me sollicitè inquirunt illius Consanguinei, & Amici, obnixiùs rogantes, ut volens facilisque annuerem cum Medico curante inire consultationem. Illorum ingenio petitionique lubens auscultavi, pactâque horâ unasimul

mul convenimus. Quae ſupra de curatione innuimus ſapidiſſimè brevique retulit juratiſſimus Clinicus; ſed cum nihil, quantum in Ipſo fuit, omiſiſſe mecum ipſe reputarem, quod pro ſiſtendis ſanguineis Sputis ad ea uſque tempora communis Medicorum Praxis adhibere conſueverat, Me doluiſſe repoſui, unum ſcilicet mihi reliquum fore remedium, illudque nativum & obvium, cujus ſi citiùs caperetur experimentum, rationi futurum crederem maximè conſentaneum, ut res infelicis aegri jam fere conclamatae in priſtinam iterum revocarentur ſanitatem. Frigidam igitur unicè propoſui, cujus vix audito nomine admirari Medicus curans novum medelae genus, metuere, perhorreſcere, immò Vitae majus impenſurum diſcrimen, ſi adhiberetur, proteſtatus, ſe in nova Sanguinis miſſione, continuatoque Adſtringentium uſu ſpem, ſiquae foret, potiſſimam reponere vociferabatur. Dies ſed enim appetebat morbi decima, quâ ex aegro aerumnoſo, extremis jam munito Eccleſiae Sacramentis, partim cruentè ſpuendo, partim repetitis phlebotomiis, duodecim circiter Sanguinis librae peſſum iviſſe ſupputabantur. Quâ de re cum viribus foret jam ſatis deſtitutus, Pulſuſque adeo exiles micarent, ac debiles, ut vix leviori tactui reſiſterent, humanae meliùs conſultum credidi miſerationi, ſi emunctus ſenſim

de-

deficeret potiùs, quàm novâ Sanguinis missione certum Mortis periculum turpiter foret subiturus. Ut nihil tamen relinqueretur inexpertum, rationique quoquo modo cederet animus vel aegroti, vel Medici diversa sequentis, percontari ab Ipsis coepi, An Potionum calidarum usu Tussis unquam acquieverit, an contra majori cieretur nisu, ut Sanguis promptiùs inde perrumperet? Violentiorem excitari Tussim, & Cruorem hinc subito prosilire respondit aegrotus. Quin igitur Frigidam eò opportuniùs periclitari, quàm anceps iterum praestet experiri remedium, unde laboris plus haurire mali sit quàm ex re decerpere fructus? AEger ipse Judex sibi sit atque Medicus. Sorbeat, ubi Tussis invaserit, Frigidae haustum, aut ea siquidem, exasperabitur magis, aut illicò cessabit. Si alterum contingat, integrum cuilibet sit Frigidae usum proscribere: sin alterum eveniat, quod potius expedierit, ab ipsomet aegroto seligatur. Malle tamen inutilibus uti remediis, ut tutiora omittantur, aut insanientis est animi, aut hominis fungi, bardi, & ad ludibrium usque cerebrosi. Hisce anxius aeger rationum momentis affatim permotus, cui caeteroquin, ut fit, nihil erat antiquius quàm novum tentare remedium, quo in melius crederet res posse referri, alacri animo fidentiorique spe: quidquid unquam in con-

tra-

trarium Medicus blateraret ordinarius : ad experiundum Frigidae ufum maluit tandem animum appellere . Porro fimplex iftuc medelae genus vix fuit ad praxim revocatum, quod illicò Tuffis , illicò Cruor omnis miraculi adinftar, videbantur compefci ; fed ne in fufceptae methodus continuationem aliquis forfan irreperet error ; fpe nova fretus me iterum arceffitum aegrotus interrogat, enixiùs rogitans, ut emuffitatam praefcriberem vivendi rationem, modum certum praefinitumque imponerem Victui , & quot dies foret Aquae ufus continuandus , propalam edicerem . Ipfe fed enim ab aliorum Haemoptoicorum Curationibus aufpicatò abfolutis ne tranfverfum quidem unguem difcedens, calidis Jufculis , Pulmentifque bello opportuniùs indicto : ne eorum fcilicet abufu Sanguis rurfus erumperet : duo tantùm Ovorum Vitella, alterum Prandii vice , alterum Coenae loco porrigenda fidei committo Curatorum : Quietem fummam cùm Animi, tum Corporis praecipio obfervandam : Aquam eoufque parum fed frequenter potandam confulo, donec non Cruoris folùm rejectio, fed Tuffis vel minima conquieverint . Quibus adamuffim obfervatis, morboque devicto non folùm in priftinam conclamatus aeger quamocyffimè rediit valetudinem , fed uxore immo ducta ad plures pluresque annos fanus

vigens atque valens ; quoad ejus ſcire nobis licuit ; diù vixit incolumis.

Historia II.

Relatae non abſimilis altera hìc erit Haemoptyſis ſubtexenda, quae Anno 1743 in Viâ Curſûs ſub Parochia SS. Laurentii, & Lucinae Dominum Alexandrum Peſcicam graviter invaſit. Juvenis hic Annorum circiter vigintiquinque, plethoricae temperiei, Habitus corporis ſubpinguis, & uſque a primo Adoleſcentiae ingreſſu Luem non ſemel paſſus veneream, cum Menſe Martio in quadam coenâ unàcum Amicis hilariter epulantibus, frixis Cinaris, Vinoque meraciori certatim mallet diſtendere ventrem, eadem nocte Tuſſi interdormiendum corripitur frequentiori, perquam moleſtâ, ſiccâ, atque anhelâ, quam Mane ſequenti repetitum excipit Sputum vividi ſpumoſique cruoris. Hocce advertens infortunium AEgrotus ſubitò accerſire me jubet, ſollicitam implorat opem, & dubius undique, ac meticuloſus actum jam eſſe de ſalute ſua verbis haeſitantibus praenunciat: liberè propterea ipſum admonerem precabatur, ut Sacramentalem, quatenus foret opus, eidem indicerem Confeſſionem. Pronus faciliſque in hoc ultimo conſenſi, cum Chriſtianum fugiat neminem, in gravioribus, ſi unquam

quam magis , humanae vitae calamitatibus a Deo tum maximè certiorem medelam esse jure repetendam. Firmo in reliquis praesentique foret animo , nam siquid artis in me fuisse reputaret , in ejus porro reparanda valetudine studio contendissem quàm liceret maximo . Repetitis igitur praescriptis Sanguinis missionibus, Diaetaque ex more imperata rigidiori, ut paucioribus haustibus sed frequentibus Aquam biberet frigidiusculam sollicitè consuluimus . Ad diem Morbi usque sextam, cum rejectio Sanguinis Tussisque sensim imminui viderentur , prosperè casura omnia certissimè fortè promittebat methodus usque a principio suscepta. Sed die vix subeunte septimo, quod primo en foetu populosa repullulat Hydra ; Tussi quippe improvisò saeviùsque iterum gliscente , nova sanguinis copia adeo continuò excreatur, ut unius fere horae spatio tres circiter ejecti Cruoris librae possent non aegrè supputari. In isthoc aerumnoso rerum statu festinanter rursus arcersitus , ut Sacra administraretur Synaxis cumprimis edico , nova postmodum praescripta Sanguinis missione ad Gelidae usum frequentiorem juvit direxisse aegrotantem. Religiosori enimvero methodo vix nova haec fuit instituta medendi ratio , quod Tussis statim frenari, Sanguinisque rejectio, portenti adinstar, coeperunt fere subitò compesci.

pefci. Clanculum autem, Meque abfente aegrotum ipfum amicitiae titulo invifebant duo alii Medicinae Profeffores, alter Sacerdos quidam Neapolitanus, alter jam fato praecoci extinctus, multae forfan fpei futurus aliquando Clinicus, nifi vix medicum emenfus tyrocinium altiùs de fe citò nimiùm fortaffe cogitaffet. Hi junctis Ambo vexillis novum ftupebant remedii genus, nafo fufpendebant adunco, utque temerarii ausùs Me propalam accufabant, quòd omni femotà rectè medendi lege ac ratione Hippocratis Textus, & Doctrinam aut penitus ignorarem, aut omnino defpicerem. Superis interea fufceptam Frigidae methodum opportunè fortunantibus, ut iis convalefcens aeger medium oftenderet unguem fuimus auctores; feptem quippe vix elapfis diebus quod fugata penitus convulfiva Tuffi, omnique Cruoris rejectione fedata defperatus fpe falutis Alexander in priftinam integrè reftitutus eft fanitatem.

HISTORIA III.

PAucis interea vix menfibus tranfactis ab Haemoptoici praefati fanatione quod circa horam noctis fecundam ad vifendum Dominum Pafchafium Latour in Via Burgundiana Paroeciae SS. Laurentii & Lucinae habitantem feftinanter accerfor. Vir hic Natione

Leo-

Leodienſis: Profeſſione Sculptor : Temperamento ſanguineus: aetate Annorum circiter quadraginta: Habitu Corporis neque pinguis neque praeter modum gracilis, & haemorrhoidali beneficio non ſemel obnoxius, cum Menſe Junio in quadam Villa neſcio cujus Emi Cardinalis Statuam a ſe affabrè inciſam ſuo deberet aptare conceptaculo, ſub ardentiſſimis Solis radiis diù opus habuit immorari. Veſpere domum repetens Tuſſi vexari coepit dira, aſpera, ac frequenti, quam ſimplicem reputans catharrum ad unum & alterum diem vel parvi admodum fecit, vel omnino neglexit. Inſoleſcente poſtmodum quotidie Tuſſis eò ſaevientis impulſu, contigit tandem, ut purae putaeque Salivae vice, quam aliàs intertuſſiendum expuere conſueverat, Cruorem ab ore coeperit ejicere copioſiorem. Hiſce a Me examinatis, Naturaeque genium ſtudens quoquo modo imitari, largiorem ex Pede ſtatim praeſcribo Sanguinis miſſionem, qua celebrata, & ut incoenatus pro ea vice contentus foret acquieſcere, & ut pro majori vel minori tuſſiendi frequentia Frigidam brevibus hauſtibus potaret ſollicitè admoneo. Obſtinatiori ſed enim Tuſſis contumacia, Sanguiniſque inde ſubitò erumpentis rejectione totam eam noctem aeger maximè territus ducere debuit inſomnem. Vix autem Aurora albeſcente quod res

in

in meliùs ſunt viſae referri; quiete ſiquidem
opportunè revocata quinque aut ſex horas
placidè in multum Mane dormivit. Modo pro-
ceſſit eodem reliqua, quae ſupererat, dies;
ſed primis vix ſe intendentibus tenebris, quod
Tuſſis aſperari, ſanguiniſque effluvium rurſus
erumpere quampromptiſſimè coeperunt. Ut
Venae iterum fieret inciſio ſine cunctatione
imperavimus, quae ad diem alioquin ſepti-
mam, pro oblata nimirum Pulſuum retinen-
tium occaſione, quater aut quinquies circi-
ter fuit rurſus praeſcripta. Hac ſuſcepta me-
thodo ſpes quidem ſubibat animum quam-
commodiſſimo Morbi exitu poſſe ex ſententia
rem confici; cum maximè adverteremus,
Tuſſim ſenſim imminui, & Sanguinem copio-
sè aliàs ejici ſolitum, dietim excerni ponde-
re rationeque remiſſiori. Haec igitur auſpi-
catiorem licèt ſponderent eventum, non aptè
tamen quadrare videbantur uxori aegrotan-
tis, quae porro Feminarum more, vota me-
tu duplicans, Me etiam atque etiam impen-
ſiùs precabatur, ut a tam magna Frigidae
copiâ, Diaetâque adeo ſtrictim imperatâ con-
ſultus meliùs aliquando abſtinerem, niſi tan-
dem fame enectum Virum certo mallem de-
mittere laetho. Hocce factus cautior elo-
quio, quòd verbis minus ambiguis Me inſci-
tiae quaſi nomine traduceret, quàm poſſum
ſtudioſiſſimè anxiam Mulierem iterum atque
ite-

iterum exoro, ne, si mallet, proprium ita pateretur Conjugem inconsultò interire; sed singulari immo me obstrinxisset officio, ubi ad Viros in Medicina praestantiores consilium implora tura appellasset. Eventui convenit responsum, arcessitis quippe Excellentissimis Dominis Cosimo Grilli Protomedico Generali, & Altero, cujus lubet subticere nomen, ne fortè invidiam conflare eidem malignè videamur, ad Hos de Morbi Essentia, Caussa, Prognosi, & instituta eousque Curatione fidelissimè retuli. Nostrae Alter benignè favit sententiae, novâque immo propositâ Sanguinis missione, ne crebriori Frigidae usu abstineret aegrotus, quam constantissimè admonuit. Ridiculè Alter vitilitigator gloriosus mille injicere adornavit tragulas, atque inanes fallacias, Frigidam hinc improbavit, Nucerinam substituit, & sic more sibi solito propriae maluit velificari ambitioni. Nequicquam autem actum est aliud in toto illius aegritudinis progressu quàm quod jure opportunèque proposuerat supra relatus peritissimus Grilli: qua de re Venâ iterum incisâ, Victu observato rigidiori, & susceptae Frigidae usu continuato intra paucos dies passus exsuccusque aegrotus sartam tectamque iterum adeptus est valetudinem.

HISTO-

Historia IV.

SUis quoque digna est quae hìc referatur adjunctis altera Sanguinis exscreatio, qua Anno 1750 improvisò fuit correptus Reverendorum Patrum Clericorum Regularium Minorum Pater Vincentius Maria Russo Catanensis, qui, temperie sanguineo-melancholicus: colore subpallidus: Corporis habitudine semiobesus, & aetate Annorum circiter duodetriginta, cum pro sacris elucubrandis Concionibus pluteum quasi perdite caedere secum animo destinasset, ad plures pluresque menses, Mareni immorans, improbo opere, curaque seduliori musas studuit colere severiores. Romam inde arcessitus Reverendissimi Praepositi Generalis vacaturus Epistolis, mutato domicilio, immutare plus minusve minimè valuit occasionem defatigandi pectus ad abacum. Quare levi primùm tentatus spirandi difficultate, Tussi sensim corripitur inopina, aspera, frequenti, ac inani, quam copiosa inde excipit Cruoris vividi floridique rejectio. Accitus festinanter, ut largiori manu Sanguis educeretur statim praescribo, Ventri indico bellum, & more mihi consueto Frigidam crebriùs potandam committo aegrotanti. Hisce observatis praeceptis usque fere ad superstitionem, praesens quod fuerat malum in diem sensim abiisse manifestò

per-

percepimus ; unde continuato Frigidae uſu intra ſeptem circiter dies Tuſsim omnem ſedatam , Sanguiniſque penitus cohibitam advertimus ejectionem . Tam ſubita enimvero in priſtinam ſalutem reſtitutio eòcitius aegrotum fecit immemorem diſcriminis elapſi; ciborum ſiquidem deceptus appetentiâ ob Famem perlatam , nimiùm forte properanter indulſit iratum placare ventrem : hinc velut maligna quaedam atque invida fortuna per Tuſsim iterum excitam , perque ſubitò inde proſilientem Cruoris rejectionem, completum quod putabamus opus extemplo ſubvertit . Adverſus tamen pertinacem rebellemque morbum iiſdem frenandum praeſidiis inſtitimus obſtinatiores ; unde ſolita Aquae frigidiſsimae inſtituta methodo , victuque indicto rigidiori quamocyſsimè ad priorem ſanitatem redditum perſenſimus aegrotantem . Sed cavendum erat a recidivo morbo , ne ſcilicet inopinatò recrudeſceret in Juvene potiſsimùm ſalino-terreis donato principiis ; hinc ut rigidior emolleſceret fibra , utque Sero leniretur oleoſo ſalina mordacitas , per quadraginta & amplius dies Lactis tantummodo uſum , Alterantis , ut dicitur , modo praeſcripſimus adhibendum . Innoxia iſthaec ac ſimplicior Recidivae propulſandae ratio tam praeſens religioſo Juveni adjumentum attulit ad ſalutem firmiùs ſtabiliendam , ut om-

ni penitus exantlato labore priſtinas vires, innatam corporis habitudinem quamcitiſſimè reparaverit. Anno tamen vix elapſo, quod nova crudeſcit Tuſſis, ſequiturque cruenta ut primùm excretio; ſed aegrotus ſecurior alioquin factus de Remedii certitudine, jubet me illico acciri, ut ſanguinem mittendum imperem, utque Gelidam crebriùs hauriendam praeſcribam, alacri animo obteſtatur. Conſilio hinc aegrotantis potiùs quàm meo auſpicantiùs expedita Curatione, nec Vola, nec Veſtigium apparuit ampliùs inopinatò recrudeſcentis incommodi: quare cum per quatuor deinde annos Vitam Romae ab omni recidivo morbo duxiſſet incolumem, Patriam tandem reverſus, ibi optima impraeſentiarum frui valetudine conſtantiſſimè renuntiatur.

Ex hiſtorica hactenus relati morbi narratione cadere res aptiùs videtur, ut brevi ſcilicet illud expendamus, cur Haemoptoici in idem Sanguinis ſputum quamſaepiſſime recidant? Hujuſce Phoenomeni enodaturos difficultatem iterum Nos hìc juvabit eorum reminiſci, quae circa modum quo uti fere ſolet Natura in compeſcendis Haemorrhagiis ſuperiùs adnotavimus. Porro fuit inibi obſervatum, aut a vulneratae partis Cicatrizatione, aut ab omnimoda diſrupti Vaſculi obductione proſperum, ſiquis unquam ſperan-

randus, fuisse repetendum eventum. Si hoc minùs a veritate dissentit, non erit forte adeo operosum percipere, quommodo semel Haemoptoicus possit novo iterum Sanguinis sputo fieri non infrequenter obnoxius: uno siquidem aut altero obducto, V. G, Vase, prae cujus occlusione Cruoris aliquando cessavit eruptio, reliqui viciniores canales, quos solers Natura sartos textosque protexit, supplere necessariò debebunt Obductorum vicibus, atque eorumdem consequenter Defectui. Ubi interim per rectam vivendi rationem post Haemoptysim superatam nec quantitatis, nec fervoris modum Humores excesserint, omnia in proprio consistent libramento. Sin autem aliquando vel reviviscat Plethora, vel alia quaecumque causa motum confestim augeat Liquidorum, Decem, exemplo sint, Canales eam quantitatem, aut impetum Sanguinis nec excipere, nec sufferre poterunt, quem aliàs Duodecim antea facili negotio recipiebant. Quare aut violentiori cedentes impulsui, aut copiam supra modum auctam urgentis Liquidi cum nequeant admittere, vel laxiores redditi dilatentur, vel nimiùm oppleti tandem fatiscant necesse erit.

Tantumdem porro negocii facessere poterit liberiori Sanguinis Circulationi interiùs obducta Cicatrix; ubi enim circularium fi-

brarum Cylindrum plus minusve obstrinxerit producta Callositas, aut sanguinei globuli praeterfluendo in eandem nonnihil impingent, vel coacti in angustúm omnino sistentur. Si primum contingat: Sanguinis impulsus, ut progressivum perennet motum, urgere ac distendere enitetur semiobstructum Canalem; quà certè distensione Haemoptysim passus modò obtusiùs, acutius modò persentiet, ut moris est, aliquandiu doloris incommodum. Sin verò accidat alterum: Sanguis in renitente, & angustiori Cylindro ob auctam plenitudinem coarctatus, in seipsum primò congeretur, majus deinde quaerere enitetur spatium, & cum progredi ulteriùs non poterit, tandiù Vas semiobductum adiget, ac impellet, donec impete facto aut morbosè prolataverit, aut omnino disruperit: & en quod semel Haemoptoicus ob organicae structurae vitium usque a prima Sanguinis ejectione relictum, reducem eandem morbi speciem poterit non infrequenter offendere. Quae autem de Haemoptoicorum reviresceente aliquando Mali labe adnotavimus hactenus, eadem num & ad recidivantes Pleuriticos exigi analogicè debeant, penes Lectorem emunctae naris libertas esto judicandi. Verùm unde divertimus, opportunè revertamur.

HISTO-

Historia V. Anni 1747.

REverendus Dominus Bartholomaeus Bacher Sacerdos annorum sex circiter ac viginti ex Parochiâ S. Nicolai in Archionibus in Viâ Rasellâ: Temperamento praeditus sanguineo, structurâ corporis procerâ, ac subgracili, atque a Natura egregio donatus ingenio: cum ad politiora Studia, & ad Legalem doctrinam perditè fere, ac supra Vires maluisset incumbere, ciborum pedetentim correptus fastidio, sensim coepit quotidie macrescere. Gliscentem maciem quaedam postmodum excepit obtusior spirandi difficultas, quâ, dum chartis ad pluteum illuderet, eò maximè sentiebat molestari. Hoc reduce quamvis, modò plus modò minus, afficeretur incommodo, nunquam tamen ab improbo literarii operis instituto susceptam maluit amovere occasionem. Quare eò res paulatim devénit, ut subita erumpens Tussicula Sanguinem ex ore egereret non adeò exiguâ quantitate. Improvisâ hinc perterritus Cruoris ejectione primum, qui forte sibi fit obvius, Clinicum meticulosus interrogat: quaeritat sollicitè remedii opem: & quodnam de Morbo tam inopinè suborto ferendum sit judicium, anxiè sciscitatur. Ille studens lenitate verbi tristitiam rei mitigare, bono jubet esse animo, vel

a Gin-

a Gingivis ſiquidem, vel ab oeſophago, vel ab aliis quibuslibet Vaſculis Sanguinem innoxiè erupiſſe aequioribus rationibus conatur revincere; ſed utrum fronte an mente id certiùs aſſereret, digna porro res erat, quae ad exactiorem trutinam deberet referri. Tuſſis interea non ſolùm nec minimùm remittebat, ſed Cruoris quin immo Sputum nunc majori nunc minori copia ex intervallo viſebatur excerni. Hinc feſtinanter accitus, Pulſibuſque exploratis Tactui magnopere renitentibus, ſatis largam protinus impero Sanguinis miſſionem, quam aliàs Corporis quies inde exciperet ſtudio obſervanda ſeduliori. Cum iiſdem ſed enim Viris Equiſque, ut dicitur: Diaetâ ſcilicet ac Frigidae uſu: de morbo quamcitiſſimè profligando cum inſediſſet animo decertare, Gelidam crebriùs hauriendam quammaximè inſto, ut AEger alacriter frequentet. Non ſecus ac juſſus in novam hic ſpem erectus, propoſito lubens auſcultat conſilio, vixque primis praeguſtatis hauſtibus, quod ſubitò Tuſſis, ſubitò Cruor exulat omnis: Hinc in Vires brevi reſtitutus eâdem Frigidae continuatione, à Lactis uſu, debito more, poſtmodum excipiendâ, ſatis congruam eſt deinde nactus pinguedinem, quae caeteroquin a nimiis Studiis emuncta, tabificam facilè ſpondere poterat Febrim, nullae quamvis antea accidiſſent unquam Cruoris rejectiones. Hi-

Historia VI.

TAndem ne longâ exemplorum Iliade taedio ſimus Lectoribus, juvabit hìc pro coronide enarrare proſperum Conſilii epiſtolaris eventum, quod Anno 1746, enixiùs Nos deprecante Illmo Domino Franciſco Canonico Caeſari, Concivi noſtro, tranſmiſimus Montemfaliſcum. Contumaciori illic Haemoptyſi graviùs tunc afflictabatur ejuſdem Canonici Patruelis Dominus Petrus Carolus Pierj, ephebus ex Primatibus illius Civitatis: & licèt operâ & ſtudio cautiori ad plures plureſque dies optimè ſedulòque eidem mederetur perilluſtris, & excellentiſſimus Dominus Severinus Cioceri, inter conductos porro acutae naris Clinicos plurimi meritò reputandus; Malum tamen indies ingraveſcebat, ſingulaque adhibita remedia in ſequius potiùs vitae diſcrimen videbantur converti. In hiſce rerum anguſtiis, & calamitatibus eò tandem noſtrae allatae ſunt literae, quae Frigidae uſum pro Sanguinis ſiſtenda rejectione ſtudio accuratiori commendabant. Hae vix perlectae, ac ſatis maturè conſideratae non aegrè, curantis Phyſici animum, ſimplicioris alioquin medendi methodus amantiſſimum, ad noſtram traduxere ſententiam. Semianimi igitur Juveni, omnibuſque, ut inde accepimus, jam munito Eccle-

ſiae

ſiae Sacramentis Frigida haurienda crebriùs fuit porrecta, quâ ſubitò Tuſſis, ſubitò Cruor omnis conquievit, viribuſque ſenſim reparatis optimam deſperatus aeger ſibi comparavit ſanitatem.

Feliciorem ſanè hujuſce curationis eventum jam inde ab accepta aegrotantis ſanatione audivimus, ex relato Canonico tunc Romae commorante; ſed ubi tandem pro bono publico, ut remur, iſthaec inceſſit cupido elucubrandae Diſſertationis, facturum operae pretium exiſtimavimus, ſi rem ipſam, uti verè contigerit, ab ipſomet curante Medico reſcire ſtuderemus. Per epiſtolam igitur cauſsâ eidem ingenuè collatâ, cur ejus Nos facti gnaros eſſe expediret, perhumaniter ille noſtro obſecundans ingenio, hanc urbaniſſimè reddidit reſponſionem.

La rimembranza delle più gravi Malattie benſpeſſo ſuperate coi Rimedj più ſemplici è, a mio credere, l'unica conſolazione de Medici, che per loro deſtino ſono ordinariamente addetti a compiangere ſenza lor colpa l'altrui miſerie, e diſgrazie. Mentre Ella dunque m'impone nella di Lei ſtimatiſſima a narrarle l'eſito proſpero, che anni ſono ebbe quì il di Lei Conſulto ſullo Sputo di Sangue guarito certamente afforza d'Acqua annevata; mi dà motivo di nuovo compiacimento in ravviſandone la facilità della Cura coll'

coll'ajuto di un Specifico sì ovvio, sì innocente, ed altrettanto efficace. Perche intanto rimanga il di Lei desiderio nel miglior modo appagato, e perche ne possa far quell'uso, che più le piacerà per la sua premeditata Dissertazione, non solo l'esporrò il caso da Lei richiestomi, ma di più le ne addurrò molti altri, che ad esempio di quello sotto la mia direzione incontrarono col metodo della stessa Acqua l'istesso evento felice: così attestar potendolo tutta questa Città di Montefiascone. Eccolene dunque del suo un piucchè succinto Dettaglio.

Il nobil Giovane Pietro Carlo Pieri di temperamento sanguigno-bilioso, d'Abito di Corpo gracile, di Genio dedito alle Caccie, sorpreso da Tosse violenta incominciò a sputar sangue sì florido, e spumoso, che dubitar non poteasi sgorgar dovesse da un qualche Vaso arterioso polmonale. Chiamato frettolosamente alla Cura ordinai in varj tempi replicate emissioni di sangue: prescrissi l'oglio d'Amandole dolci da pratticarsi a cucchiari, e più d'ogn'altro raccomandai la Dieta rigida, senza mai venire ad uso veruno d'Astringenti reputati volgarmente Specifici. Colla continuazione di questo metodo non solo non viddesi profitto notabile, ma dippiù nel giorno duodecimo del Male avanzato coll'inasprimento della Tosse si accrebbe il gettito di Sangue ad una copia,

e quantità piucchè cosiderabile . In questo stato sì miserabile di cose, ed in un'affare di sì grave pericolo stimai bene, che detto Paziente si sagramentasse . Ciò fatto fu per buona sorte ricapitato dalla Posta il di Lei sovraccennato Consulto: Ci appigliammo all'uso dell' Acqua annevata, come appunto consigliavaci, da cui seguinne un'effetto sì felice, che il gentil Paziente in pochissimi giorni si vidde libero, e risanato, e da Gracile, che era, si ripose in una robustezza di Corpo tale, che presentemente può reggere, e resistere a qualsivoglia anche laboriosissimo esercizio.

Più spaventoso fu il Caso, che accadde ad un certo Francesco Canfora nel Mese di Luglio del 1748, Giovane ancora questo di Temperamento sanguigno, di Corpo gracile, di Statura elevata, e di Collo lungo, ma con gettito di Sangue sì frequente, e sì copioso cacciato con Tosse dalla Bocca, che in una sol volta lo viddi ascendere al peso di tre Libre: e questo per essere replicato sino alla terza volta lo aveva talmente sfornito di forze, che, abbattuta la natura, lo costituiva in un pericolo imminente di morte. Prescritta da me la pura Acqua annevata doppo replicata emissione di Sangue; si vidde arrestare quasi subito la Tosse, e con questo il Sangue medesimo; sicchè rimettendosi appoco appoco in forze coll' uso de Brodi parimente nevati tornò a

ra-

racquiſtare la priſtina ſalute, che gode perfettamente, quantunque eſerciti il miniſtero laborioſo di Stampatore col fatigare continuamente al Torchio ſenza incommodo di Petto, nè d'altro male. Inſomma coll'Acqua nevata principiai queſta Cura, e coi Brodi freddi la terminai felicemente.

Una ſimil Cura non differente da queſta mi accadde in queſto Venerabil Colleggio in un Giovane di Celleno, il quale per più giorni ſoffrì l'iſteſſo incommodo di Sputo di Sangue; ma in una notte fra l'altre ſi moſtrò il Gettito sì copioſo che minacciava ruina di ben proſſima morte, eppure anche queſti coll'acqua ſemplice annevata ſi liberò.

Ma ſarebbe un non mai finirla, ſe io voleſſi far quì un diſtinto Racconto di tutte quelle Cure tirate ad ottimo fine coll' uſo della mera, e pura Acqua, come ſopra diviſai; Poichè l'iſteſſo quì accadde al nobil Giovane Stefano Pieri: ad un Cavaliere Piſano, che quì di paſſaggio trattenneſi: ad un Maeſtro di Flauto Napolitano, che fermato eraſi in queſta Città a dar Scuola: ed ad certo Pancrazio di Domenico Uomo di Campagna di circa 45 anni, quale con emiſſione di Sangue, e frequenti Bevute d'Acqua, come ſopra, in pochiſſimi giorni ſi reſe ſano, e vegeto, ed al preſente ſi eſercita al ſolito laborioſo meſtiere della Coltura delle Vigne, e dei Campi,

ſenza mai più avere inteſo incommodo veruno. Altri molti me ne ſono accaduti, che per brevità tralaſcio, o perche il detto Sangue nel ſuo Gettito non fu sì pertinace, ed oſtinato come nei ſopradetti. Ciocchè però non intendo, ſia detto per mia gloria, ma ſolo per far la dovuta giuſtizia al di Lei ben condotto Raziocinio, che appoggiato certamente ſull' autorità del grande Ippocrate, e ſulle moderne Meccaniche ſeppe nella ſtrettezza di un Foglio Conſultivo, ed interamente appagarmi, ed in tutto convincermi ad abbracciare un nuovo Metodo tanto dai più Scrupuloſi ſinora temuto, quando dall'altra parte deve autenticarſi, ed abbracciarſi per Vero, e piucchè Sicuro: così facendocilo vedere, e toccar colle mani la quotidiana Sperienza.

Altro intanto non reſtami ſenon che mi continui il di Lei parzialiſſimo affetto, e riſolvendoſi a dare alle Stampe la diſegnata Diſſertazione, tanto neceſſaria a beneficio del Publico, ſi compiaccia di participarmene una Copia, che certamente la terrò cara non ſolo per la memoria di un vero Amico, e Padrone, ma moltoppiù per veder vendicato l'uſo ſemplice della vera Medicina appoggiato ſulle Dottrine ſtabili, e ſperimentali del grande Ippocrate.

Monteſiaſcone 12. Febraro 1752.

Ne-

Neque eſt quod quis dicam forte nobis impingat, repetitis Sanguinis miſſionibus potiùs quàm recto Frigidae uſui proſperum cujuslibet ſiſtendae Haemorrhagiae eſſe adjudicandum effectum. Rem ſiquidem oculis quiſquis inſpexerit aequis, ingeminatis porro reteget exemplis, quodlibet Cruoris profluvium, nulla licèt praeceſſerit phlebothomia, per repetitam Frigidae admotionem aut omnino ſiſti, aut ſaltem magna ex parte compeſci: quod contra ſecus accidet, ubi diverſa ab hactenus relatâ inſtituatur curandi methodus, eſto per iteratas Sanguinis miſſiones ſemianimem aegrotum reddiderís aut etiam exanguem.



Diver-

Diversae aliorum Haemoptoicorum Historiae ab Excellmo Domino JOSEPHO MARIA SPERANZA exaratae summâ hic fide referuntur.

HISTORIA I.

JUvenis secundum supra vigesimum pertingens Annum, temperamento donatus plethorico, habituque corporis mediocri, cum duobus ab hinc annis instrumento contundenti supra dexterum hypochondrium vapulasset, maximo contusae partis illico correptus dolore, Haemoptoicus evasit. Nonnullis, ut fit, Domi adhibitis magis obviis praesidiis quamcitissimè convaluit. Binas tamen progressu temporis passus est recidivas, & viginti abhinc diebus ob varios in Diaeteticis commissos errores, ac potissimùm in motu, Victuque nimio, Tussi frequenti, ac ferinâ cum ingenti sanguinis rejectione ad tertiam iterum vicem corripitur. His accedit Febris non adeo levis, cujus perculsus timore ad Nosocomium S. Spiritus enixè rogat aegrotus ut festinanter deferatur. Nonas igitur Septembris 1755 eò est ingressus, iteratisque pertractatus Phlebotomiis, ut una, alteraque vice Oleo uteretur Amygdalarum cum guttis aliquot Sideuamici Laudani opportunum duximus praescribere. Aquam naturaliter

liter frigidam singulis dimidiis horis hauriendam imperavimus, & omni penitus nutrimento calido interdicto, ut jure tantum pauculo Carnis cum Ovi Vitello quassato frigidiusculè aleretur impertivimus facultatem. Hac Methodo adhibita adeo sensim sine sensu sese melius habuit aegrotus, ut undecima a Decubitu die convaluisse omnimodè visus fuerit. Diminuto interim ac successivè paulatim intermisso Frigidae usu (quantum scilicet ratio ac natura dictaret morbi perpessi) ut Pulmento levissimo primis diebus, mox salubriori Carne vesceretur faciliores indulsimus. Exsuccus tamen prae morbo devicto, praeque Diaeta tolerata rigidiori emunctus indies magis apparebat: qua de re ut Lacte ad plures pluresque hebdomadas reficeretur, maciem impendentem substulimus. Morbo hinc tandem superato, viribusque affatim citoque satis reparatis, ad sua, Deo dante, munia quamcitissimè rediit, & sospes vegetusque a Nosocomio discessit.

Historia II.

E*Odem ferme tempore, quo praefatus, Alter quoque Juvenis annorum circiter vigintiquinque, officio Pistor, Sanguine plenus, ac subpinguis, Haemoptoicus, ac leviter febricitans Nosocomium intravit. Is cum*

su-

superioribus a morbo mensibus ob nimiam commotionem festino nimis gressu peractam sese ultra modum excalefecisset, Tussi primò sicca, mox ferina tentari coepit, atque inter tussiendum satis copiosam sanguinis quantitatem ejecit ab ore. Timore captus legitimo, domum illico redit: Corporis, Animique quieti, quoad fieri potest, se dat placidissimae, qua adhibita cautione, visus quidem morbus est quasi statim acquiescere. Quarta autem decurrente die, hisce omnibus jam praegressis reviviscentibus, immo magis adauctis (frustra licèt celebratae forent plures sanguinis missiones) in Nosocomium tandem maximè meticulosus se contulit. Una ergo alterave vice Sanguinis extractione repetita, ad Methodum naturaliter Frigidae illico traduximus aegrotantem; calidoque omni Victu sublato, ut semel in die Ovi solummodo uteretur Vitello pro necessaria refectione, more nobis solito imperavimus. Intra breve dierum spatium adeo felici aeger convaluit successu, ut post quindecim insumptos dies ad proprium potuerit redire exercitium, & lares proprios revisere.

HISTORIA III.

J*Uvenis Romanus exsucca corporis constitutione, temperamento cholericus, Vino, Venerique mirum in modum indulgens, Anno*

no 1754 ubi multo stomachum implevisset Mero, ingenti praevio sudore, haud mediocrem sanguinis quantitatem ad plures dies, interpolatis tamen vicibus, ob molestam importunamque tussim per os ejecit. Id tamen ope alicujus phlebotomiae, Oleosorum, Usùsque Lactis in plures hebdomadas continuati visum est omnino cessasse. Verum cum & imposterum vivendi modum inordinatum non immutasset, haud levi iterum irrequieta corripitur Tussi cum aliqua viscidula, sed pravae suspectaeque notae, ejectione. Tandem sub finem mensis Septembris ejusdem Anni in Scenam denuo Haemoptoes sese restituit. Ob id igitur aegrotus, qui ad Nosocomium S. Spiritus confugit, & Phthisicus, & Haemoptoicus unasimul reapse haberetur, ne ab erumpentis tamen Sanguinis copia violenter suffocaretur, Frigidae necessariò debuit tandem methodo tractari. Res votis medicaeque respondit intentioni; subitò quippe fere restitit Sanguis, quamvis purulenti minimè restiterint excreatus. Tanta ergo hisce in casibus est Frigidae vis, ut nisi valeat omnem morbi fomitem prorsus evertere, & eliminare, satis tamen sit ut ab imminentibus Orci faucibus vita revocetur, aut saltem ut eadem per longius temporis intervallum diutiùs protrahatur.

Historia IV.

Circa idem tempus alter quoque Juvenis gracilis, ac ſanguineus, quatuor numerans luſtra, tanta in Noſocomio detinebatur, ac pertinaci vexabatur Haemoptoe, ut in irritum prorſus cederent repetitae phlebotomiae, & Oleoſa cum Opiatis copulata. Vix ſola ac conſueta Frigidae Methodus alicujus deprehendebatur profectus: quamobrem Spongias aqua frigida imbutas, Pectorique quam ſaepiſſime admotas operae pretium fuit in uſum & adjumentum revocare: utrumque tandem viſum eſt quammaximè conduxiſſe, reſtitit enim Sanguis, recentiſque uſu Lactis per plures pluresque dies adhibiti priſtinam recuperavit valetudinem. Reparatis ergo pedetentim viribus, ſuaque contentus ſorte Noſocomio poſt triginta quinque dies libentiſſimè valedixit.

Historia V.

Juvenis primum & vigeſimum vix agens annum, ad iram pronus, gracilique conſtitutione donatus, decima quinta Junii 1755 dum per Urbem feſtinis paſſibus incederet, fato neſcioquo in terram delapſus, Nares Dorſumque adeo violenter impegit, ut dolorem in iis partibus perſentiret non levem, praeſertim cum expiraret. Octava a Caſu vix de-

decurrente die, cum aliquali Pulsus alteratione, frequenti Tussi irritanteque, Haemoptoicus evasit. Nil profuit Domi illico peracta sanguinis missio: ergo ad Clinicorum Sancti Spiritùs opem confugit, atque spem in ipsis propriae salutis omnem reposuit. Huic itaque, ut voti compos fieret, oleosa statim, blandisque opiatis immixta exhibita fuere; & praeter phlebotomiam alternis vicibus bis celebratam, tota medendi Vis, atque ratio methodo naturaliter Frigidae dimidia quaque hora potandae fuit prorsus commissa: quocumque omnimodè Victu ablegato praeter Ovi Vitellum cum jure dilutum semel in die frigidiusculè concedendum. Transactis ab hac vivendi norma quatuor diebus, evanuere febris, atque Haemoptoes, meliusque in diem sese habuit aegrotus: quamobrem imminuto cum ratione quantitatis, tum ratione indicti temporis Frigidae usu, Victuque è contrario sensim adaucto, caprillo recenti tandem Lacte collapsam reparavit valetudinem, convaluit, discessit.

HISTORIA VI.

JOseph Moneti secundum supra trigesimum pertingens annum, mediocris corporis habitudinis, temperiei sanguineo-biliosae, nocte currentis diei nonae Octobris 1754 immodica Narium Haemorragia corripitur, quae

non continuè tantùm effluxit; crevit quinimmo toto sequentis diei spatio ultra modum. Is cum opportunis ac necessariis Domi destitueretur praesidiis, ad Nosocomium S. Spiritus confugit. Illico igitur misso ex Brachio sanguine ad Libram fere exuberantem, rigidiori naturaliter Frigidae Diaeta quolibet horae quadrante hauriendae coepit tractari, unico alioquin, ex more, Ovi Vitello, semel in die permisso. Ipso vel in limine hujuscemodi medendi modus quammaximè conduxisse visus est; sanguis enim, qui per nares affatim paulo ante effluxerat, reliquo ejusdem diei cursu omnino subsedit. His non obstantibus postera tamen nocte, parcè nimis, ac valdè imminutus iterum incepit effluere, cujus moderata erumpendi vis ad primum usque diluculum perduravit. Ideo Venam pariter Brachii secunda vice incidendam operae pretium esse putavimus. Exitus mirificè intentioni respondit, integro namque triduo, nec de novo Sanguinis gurgite, nec de quocumque cujusque generis symptomate tum nos, tum aeger fuimus solliciti. Exactis verumtamen praefatis hisce diebus Pulsùs praeter omnem expectationem plus justo tensos, plusque debito duros deprehendimus; quibus auxilio Unciarum octo Cruoris tertia vice ex Brachio extracti tutò obviam feliciter ivimus: illico namque restituto naturali Pulsandi statu, vim omnem ten-

sionis,

ſionis, ac turgeſcentiae, Pulſus nuper ſupra modum renitentes dimiſerunt. Cum ergo nunquam uſque ad id temporis vel immutatus, vel imminutus Frigidae modus eſſet, tandem cogitare cùm de ea diminuenda, tum de augendo victu coepimus. Quinta igitur a Morbo die, ordinario Ferculo ſeſe refecit, & biduo poſt ſorbili Ovo. Hac igitur norma diminuto gradatim uſu naturaliter Frigidae, atque gradatim adaucto nutrimento perfectè convaluit, & domeſticos reviſit lares 22. Octobris 1754.

Historia VII.

PEtrus *Mandolinus trigeſimum nonum agens annum, mediocris conſtitutionis, ſanguineae temperiei, ab ineunte adoleſcentia inordinato praeter modum cuicumque vivendi generi addictus, ac praecipuè nimio Baccho, nimiaeque Veneri indulgens, anno vigeſimo octavo ſuae aetatis uſque ad trigeſimum nonum, quotannis aeſtivo tempore moderato ſanguinis ſputo florido, ac ſpumoſo, praevia tuſſicula fuit obnoxius, quod ſola ejuſdem ſanguinis extractione ex brachio feliciter componebatur. Praeterito anno ab hujuſcemodi Cruoris ejectione difficultas ſpirandi cum Tuſſi ſicca eum corripuit, & vigeſima ſecunda cujuſque diei hora Pulſus frequentiores deprehen-*

debantur , quos calor aliquantisper praeternaturalis comitabatur. AEger itaque ob hujusmodi rei novitatem perterritus , illico Clinicum , ut remediis , auxilioque sibi ipsi praesto esset , consuluit , qui post nonnulla frustra in usum revocata medicamenta , Coeli mutationem tutiùs eidem suadere putavit. Neapolim ergo petiit ; & cum illuc pervenisset , Nosocomium intravit. Qui huic praeerat Clinicus , continuis quadraginta diebus , unum alterumve quolibet Mane Mercurii diaphoretici Bolum exhibendum esse mandavit. Reparata aliquantulum valetudine , Romam rediit , ratus se imposterum mutato coelo , ac hujusmodi adhibita curandi methodo , haud fore amplius praeteritis calamitatibus obnoxium: quamobrem immoderato vivendi modo sese denuo restituit ; adeo ut , missis caeteris , haud infrequenter cibis nimio sale conditis abusus fuerit. Sed ad quem deplorabilem statum prava haec agendi norma ipsum adduxerit , sequens ostendet narratio. Pridie nonas Julii circa vesperas dolore capitis molesto , atque compressivo fuit correptus , qui per integram noctem , posteramque diem illum haud leviter excruciavit. Vespere hora secunda circiter noctis Tussis cum assueto sanguinis sputo recruduit , quod unciis ejusdem ferme quindecim ex brachio extractis , sedatum fuit. Totam inde noctem haud levi captus somno tranquil-

quillam duxit; at veniente die, nimiùm felici fidens successui, domo egreditur, ac nec parum nec leniter obambalavit. Vespere, prima noctis hora iterum cruentus majori vi excreatus rediit, qui & altera phlebotomia ex brachio peracta, fuit refrenatus, absque notabili tamen profectu; paulò enim post saevior tussis, & ingens sanguinis per os eruptio adeo ipsum invasit, ut non solùm assidentes, verum & aeger ipse summo sint metu perculsi, ne miserè scilicet suffocaretur, & fato tandem occumberet. Statim itaque ventum est ad aliam sanguinis missionem, ita tamen, ut non priùs Vena fuerit occlusa, quam quod cruentum sputum omnino cessaverit. Binae posthaec Ol. Amigd. dulc. praescriptae fuerunt unciae, unàcum aliquot guttis Laudani liquidi Sidenamii, quibus haustis nox quieta fuit atque tranquilla. Mane, septima circiter hora, & nova Tussi, & sputo iterum cruento fuit correptus, at non ea profectò violentia, ut commodè ad Nosocomium S. Spiritus nequiret asportari. Huc ergo delatus ob succussionem forsan quamvis lenem in actu translationis perpessam, adaucta utcumque Solidorum actione, denuo plenis buccis, ac impetu quodam, ut pridiè contigerat, sanguinem ex ore rejecit copiosiorem. Hanc porro miserandam morbi tam pertinacis iliadem intimè, maturèque pensitantes, Venam

& ad

& ad quartam vicem ex Brachio iterum incidendam esse opportunum reputavimus, quam caeteroquin ad animi usque deliquium non occludendam praescripsimas. Hisce peractis, ubi sensus viresque utcumque collegisset aegrotus, ad methodum Frigidae è fonte recenter haustae, media qualibet hora propinandae, ipsum reposuimus; rigidissima aliàs indicta nutriendi norma, ut nonnisi scilicet unico Ovi Vitello semel tantum in die vesceretur. Ut autem quidquid nobiscum animo intendimus, assequi tutiùs quiremus, & obtinere constantiùs; tertia qualibet hora Spongias aqua frigida imbutas pectori superimponendas esse opportunè mandavimus: posthaec, decem horarum spatio tranquillè quievit aegrotus. Sed quid inde? Hora ejusdem diei vigesima secunda sanguinem iterum ex ore vidimus copiosiùs erumpentem, qui aliàs renovata Venae sectione illico cessavit. Idem accidit septima hora diei subsequentis, & Saphenae incisione quievit pariter cruenti excreatùs incommodum. Sequenti autem mane, cunctis mirantibus, eadem fere hora adeo convellens Tussis, & Cruor tam copiosior ex ore prosilire coepit, ut coacti tandem fuerimus praecipere ad secundam vicem Sanguinis ex Saphena repetitam missionem. Serio interim volutantes animo, tam pervicacem, molestamque Tussim,

tam

tam urgens, ac frequens Sanguini: profluvium nec assiduo Aquae naturaliter frigidae usu, nec Oleosis cum Narcoticis immixtis, nec tot, tamque frequentibus celebratis phlebothomiis sisti unquam potuisse, aut omnino compesci, Aquae tandem Nive perquam frigefactae rem totam committere firmissimè determinavimus. Votis porro ex sententia respondit eventus; Tussis enim, & cruentum sputum ita una erumpere desiere, ut Somnus redire placidus, & Vires quotidie refici aequaliter coeperint. Quinque elapsi jam fuerant ab usu Frigidae dies, cùm plus justo duriores, & plus aequo rigidiores Pulsus inopinatò deprehendimus: meritò igitur de recrudescente morbo timor nobis incessit. Ob quam rem praeservationis & cautelae gratia, ut sanguis è Venis sedalibus ad aliquot uncias mitteretur consultò imperavimus. Nec reapse in animadvertendo nosmetipsos fefellimus; ad naturalem quippe statum Pulsus rediere molliores, & corpus sensim refici cognovimus adeo, ut quatriduo post de immutanda Victus norma opus necessariò fuerit cogitare. Quapropter integro primorum dierum spatio pulmentum tantummodo, atque illud frigidiusculum sumeret, faciliores indulsimus, cui triduo post sorbile quin etiam Ovum pro lautiori ferculo adjiciendum benigniùs concessimus. Hac tandem ratione Victus gradatim

adau-

adauctus, Lactisque usus in multas praescriptus hebdomadas ita nempe mutuis auxiliis conduxere, ut Vires aegrotus pristinas pedetentim susceperit, colorem floridum, totiusque molem se-moventis machinae ad naturalem crasim mirum in modum acquisierit, & tandem a Nosocomio, insumptis inibi quadraginta fere diebus, hilari animo, firmaque valetudine, Augusto Mense 1754, feliciter excesserit.

Caetera de genere hoc adeo forent multa, loquacem ut delassare valerent Fabium, si ad Lectoris nempe fastidium singillatim hìc in medium juvaret unaquaeque proferre. Missa propterea eadem facimus, ut Frigidae nempe administrandae Methodum hactenus expositam privatis liberè periclitetur experimentis siquis unquam aversatur anceps, siquis incredulus odit.

Haec profectò sunt quae ad lucernam Hippocratis medicam elucubrata, & viginti circiter abhinc annos usu longo confirmata auspicatiorum eventuum, opportunum tandem censuimus publicae consignare utilitati, quantuli unquam negotii futura sint, ingenuo integrum erit Lectori de iis rite judicandi. Quoad per Nos licuit, nisi nova, verа certè depromere studuimus: & ubi rem acu tetigisse non obtigit, ex eo saltem bene nobis futurum sperabimus, quòd scilicet

de

de interno Frigidae uſu in Convulſiones, & in quodcumque Sanguinis profluvium particulari auſi ſimus diſſerere Tractatione, cujus alioquin argumentum a Nemine, quoad ſcire libuit, fuit hactenus fuſiori certè calamo occupatum. Praemia interim laturi necne ſimus laborum, noſtra haud magnopere debet profectò intereſſe; nam Factis modò Promiſſa reſpondeant, tunc juſtis meritò fruemur optatis.

Ingenio interea, Vena quod Paupere manat,
Det veniam, leget hoc quiſquis Amicus opus.
Utilitas Gelidae totum vulganda per Orbem
Haec fecit rudibus ſcripta dediſſe notis.
Ni Stylus oblectet, certè Experientia Veri
Auctoris vitium corriget omne ſui.

F I N I S.

EPISTOLAE
ILLUSTRIUM VIRORUM
Quorum judicio, & auctoritate
NOSTRA ISTHÆC
FRIGIDAE METHODUS
Comprobatur, commendaturque.

Doctissimo Celeberrimoque Viro

IGNATIO GERVASIO

ANTONIUS COCCHIUS S.



Iuturni silentii mei caussas, Doctissime Gervasj, narrare lubens omitto, hoc tantùm velim, ne id incuriâ vel tui oblivione evenisse credas, utpote quem notae virtutis Virum summopere admiror, Musis amicum, utilem hominibus. Priùs tamen, lecto eleganti Libello tuo de Frigidae Usu, rescripsissem, nisi adversa accessisset valetudo; qua nunc quoque detineor. Gratulor Tibi, simplicem Medicinam Hippocratis, & Asclepiadis optimam visam esse, cum hoc in Me-

dico pleniorem ſuae artis notitiam indicare videatur; idque eò maximè, quòd illam dijudicaveris Facultatem non ita facile credendi iis, quae nec ſana Ratio, nec longus Uſus certiora in dies revera eſſe monſtrarunt. A ſelectiori hoc Inſtituto, quamvis id omnes probaverint, plerique tamen Medicorum ſaepe aberraſſe videntur aut decipientes, aut decepti: adeo Homini, optanti rerum naturam fallere, durum eſt ſpem vanam ponere contra Fati properantis neceſſitatem?

Caeterùm illud, quod petis, Judicium, non ego is ſum, qui dare valeam; ſed non ideo tacitus praeterire poſſum ingenii tui acumen, naturae Notitiam, rerum dicendarum Diſpoſitionem, Sermoniſque vim atque elegantiam, quae ibi omnia admiratus inſpexi. Si his ſimilia edere pergas publicae utilitati, non mediocrem certè laudem referes, & plauſum, quae praemia ſolent eſſe Sapientum. Interim quòd humaniſſimis tuis literis & dono me dignum eſſe voluiſti, gratias reddam, quamvis muneri impares, ex animo tamen. Vale Eximie Vir, & me tui nominis, & laudis memorem crede.

Florentiae 3. Decembris 1757.

Eruditissimo, & Expertissimo Viro

IGNATIO GERVASIO S.P.D.

GERARDUS L. B. VANSWIETEN.

ACcepi, quam miseras, De Frigidae Usu tuam non minus diligenter elaboratam, quàm elucubratam Dissertationem, & simulac tempus dabatur, maxima cum voluptate perlegi. In Haemoptoicis in Germania jam in usu fuit, uti in Morbis quibusdam acutis, in quibus AEgri sitim immanem cum sensu ardoris interni habent, & solam Frigidam petunt. Sedula observatio nocentium, & juvantium semper proderit arti nostrae promovendae, ad quem scopum omnes collimare debemus. Vale.

Dabam 19. April. 1757.
Vindobonae.

Clarissimo Doctissimoque Viro

IGNATIO GERVASJ

CAROLUS CURTIUS S.P.D.

TAndem aliquando Tractationem tuam diù multumque speratam accepi, cujus quidem non unam alteramve pagellam fastidiens, ut tu sanè laevus tibi augurabare, percurri; sed eam illico universam semel at-

que iterum tanta cum animi mei voluptate perlegi, ut uno verbo dicam quod ſentio, beaſti me: etenim Opuſculum tuum non modo doctrina atque eruditione refertum, id quod in magno pretio eſt; ſed quod caput eſt; medicae prudentiae plenum licuit animadvertere: quam quidem aſſequutus es tum optimorum Librorum lectione, tum diligentiſſima, qua uteris, in morbis obſervandis, conſuetudine. Cognovi ſanè Hippocratem, noſtrum Medicinae parentem, a nemine, quoad ſciam, meliùs quàm a Te ſuper Uxoris Gorgiae Hiſtoriam fuiſſe Notis prolixiùs illuſtratum: ita ejus doctrina in animum, tuum, mentemque rediiſſe mihi viſa eſt? Macte igitur virtute eſto, Clariſſime Vir, & perge: fac ut alios quamprimùm foetus tuos videamus; ex animo enim confirmo Tibi futurum, ut magnam laudem ex iis penes Rempublicam Medicam aſſequaris. Quam ſiquidem Tractationem edidiſti, ea tum tuis, meo quidem judicio, ſtat inconcuſſa rationum experimentorumque momentis, tum Joſephi Mariae Speranza, Viri celeberrimi, Obſervationibus, ad uſum medicum maximè accomodatis, firmatur. Vale igitur, Gervaſj, Virorum optime, & Reip. Bono, ac Literis Te incolumem ſerva.

Neapoli IV. Kalendas Feb. 1757.

Lette-

Lettera reſponſiva del Rmo, & Eruditiſſimo Sig. D. Bartolomeo Duranti Canonico Teologo della Cattedrale di Viterbo, e che nei primi tempi d' adoloſcenza fu Maeſtro di Rettorica dell' Autore nell' Inclito Seminario di Monteſiaſcone.

„ RIſpondo tardi a due ſue compitiſſime,
„ e la cagione è ſtata V. S. iſteſſa:
„ mentre poſtomi a leggere, e rileggere
„ l'eruditiſſima Diſſertazione con tutta l'ap-
„ plicazione, mi fuggiva il tempo ſenz' av-
„ vedermene. Non mi baſtava ſoltanto di
„ avanzarle l'avviſo di aver ricevuta l'Ope-
„ ra, ſe inſieme oltre il gradimento non
„ moſtrava il piacere nell' ammirare l' ele-
„ ganza dello Stile, e la Forza delle Ra-
„ gioni, corroborate coll' Autorità, e coll'
„ Aggiunta dell' Annotazioni. Tanto che
„ ora ho più motivo di ringraziarla, e di
„ ammirare la ſua erudizione, con cui cer-
„ ca di giovare al Publico. Onde non devo
„ credere, quando Ella colle parole aſſeri-
„ ſce di non eſſer Medico, mentre l' Opera
„ parla diverſamente. V. S. è Medico così
„ valente, che per valermi del ſuo modo
„ di dire nella Dedicatoria, muove guerra
„ alle Malattie, e fa vincerle con profitto
„ degl' Infermi. Pertanto mi rallegro con
„ eſſo lei, mi rallegro colla ſua Patria, mi

„ rallegro anche colla b. m. del Sig. Arcipre-
„ te di lei Fratello ſtato già mio Collega, e
„ buon Padrone nell'inclito noſtro Seminario.
„ Vorrei avere più vive eſpreſſioni per dimo-
„ ſtrarle l'onore, che la Scrittura ci coman-
„ da di dare a chi profeſſa una Facoltà così
„ neceſſaria. Onore che deono preſtarle an-
„ che i più Sovrani Monarchi, i quali ſi ſog-
„ gettono, ed ubbidiſcono ai Medici. Il che
„ mi fa dire, che i Medici ſono in certo
„ modo arbitri della vita, e della morte
„ dei Re; queſti ſono i loro ſudditi, e me-
„ glio dei medeſimi ſanno amminiſtrare la
„ giuſtizia. I Re non perdonano nè alla
„ colpa, nè al Colpevole: I Medici ſanno,
„ come Alcone, uccidere la ſerpe anche in-
„ terna delle Infermità, e ſalvare la Perſo-
„ na. Ora in atteſtato di quell'onore, che
„ noi dobbiamo alla ſua Profeſſione, ſi con-
„ tenti, che io nell'imminenti Feſte del
„ Santo Natale le preghi dal Cielo tutte
„ quelle Proſperità, che deſidera, e meri-
„ ta; e per fine inalterabilmente mi pro-
„ teſto.

Viterbo 22. Decembre 1756.

CRI-

CRITICA
DELLE
NOVELLE LETTERARIE
DI FIRENZE
Sotto il Mese di Decembre del 1756.

IGNATII GERVASJ A MONTE FALISCO MEDICI ROMANI DE USU FRIGIDAE &c.

L'Uso dell' Acqua Fredda in molti Mali è omai ricevuto dalla publica Prattica. Molti dotti Medici del nostro Secolo lo hanno approvato. Il nostro Autore vi discorre sopra con della Forza per quello riguarda curare lo Sputo di Sangue, o altro Spurgo Sanguigno. Comprova dippiù la sua Sentenza con una dozzina, e più di Storie Mediche riportate in fine dell' Opera, le quali dimostrano l' esito felice delle Cure di tali Malattie coll' Acqua fredda. *Unite Ragioni, uniti Fatti, unite Autorità chi non rimanga persuaso?*

Altra

Altra Critica nell' Indice de' Fogli Letterarj di Venezia ſotto il Meſe d' Aprile del 1757. *Premeſſo ſecondo il coſtume il Fronteſpizio della Diſſertazione, conclude*: E' un Libro buono, ed utile nella Medicina.

Riſtretto Critico dei medeſimi Fogli Letterarj di Venezia ſotto lì 25. *Giugno del* 1757. *Premeſſo al ſolito il Fronteſpizio del Libro, come ſopra, così ne reſtringe il compendio.*

DUe utiliſſimi Corollarj ci ſembrano raſſodati per gli Studioſi di Fiſica, e Medicina in queſta nuova, ed iſtruttiva Diſſertazione; il primo feriſce l'uſo, e la forza, che ha in ogni Razioncinio Filoſofico il ſenſo analogo delle coſe tra di ſe con mirabile armonia collegate: l' altro che ci fa venire in cognizione più certa della ſemplicità, colla quale ſuole ordinariamente procedere l'umana Natura in rigettare certi rimedj violenti, ed in ammettere i più ſemplici, ed i più blandi. L' uno, e l' altro è preſo da un Fatto di Medicina allegato dal grande Ippocrate; poſciache avendo quell' inſigne Maeſtro oſſervato nella Medicatura di una Donna ſorpreſa dopo il Parto da un ſtrano travaſamento di Sangue, per cui finalmente ſi ſgravò d' una Mola; come l'Acqua Gelida, o Nevata aveva più conferito alla mede-

medeſima, per rimettere nel dovuto Tono le Fibre muſcolari, ed ogni rigidezza di Parti contratte, piucche qualunque altro Farmaco vigoroſo; il Sig. Dottor Gervasj con ſodo Raziocinio adduce l'Analogia, che paſſa tra l'Emorragie, o Sputi di Sangue, e tra il Morbo curato da Ippocrate coll'uſo dell'Acqua Fredda. Ma ſiccome tra i Moraliſti fu ſcritto, che la Virtù, & il Vizio ſtanno come a porta a porta; così la Sanità, ed il Morbo tra i Medici, reputandoſi due Fiumi tanto contigui, che le ſteſſe Acque, od Umori, che rendono il Corpo ſano, per poco alterati, che ſiano, ſconcertano il Corpo medeſimo, al che ſembrò alludere Ovidio allorche ſcriſſe:

Nil prodeſt quod non laedere poſſit idem;

Quindi è, che l'Autore prima di tutto ſpiega il Movimento Mecanico, l'Equilibrio, e l'Elatere, con cui dalle Vene all'Arterie, dal Cuore al Cerebro, dal Centro alla Circonferenza portandoſi il Sangue, o per troppo Acrimonia d'Alcali ſcompone il Moto nei Fluidi, o per tardanza, e troppa Coeſione aſpra alle Parti corrode, o ſconvolge l'Urto, e le Azioni, e Riazioni de' Solidi. Spiegata con maeſtria l'Indole, e l'Origine sì dei Morbi, come della Sanità, l'Autore ſi avanza a dichiarare la cagione delli Sputi di San-

gue

gue col Siſtema dei Nervi, e Muſcoli, donde procedono ſovente i Moti convulſivi: e con ciò s'apre la ſtrada finalmente a moſtrar gli effetti dell' Aqua Nevata, in raffrenare l' impeto violento del Sangue, ſenza punto far ricorſo a certi rimedj ridicoloſi aſtringenti, i quali nè hanno tutta la forza di ammollire i Nervi, o le Fibre, qualora irritate ſieno per la troppa tenſione, nè molto meno atti ſono a rimettere nei Fluidi la conſueta, e neceſſaria Elaſticità. Parimente a ſedar le Convulſioni ſi moſtra giovevole l' Uſo dell' Acqua gelida; ma biſogna vedere con qual' apparato di Autorità, di Ragioni, e di Eſperienze il Sig. Gervasj ſtudia comprovare il ſuo Aſſunto: maſſime in quella parte, in cui vaſſi incontro agli Objetti, ed all' iſteſſo Aforiſmo d' Ippocrate, laddove ſcriſſe: *Nix, & Glacies Pectori inimica*. Ciò che dà l' ultimo, ed il più oſſervabile Peſo all' Argomento Medico, ſi è l' Appendice di varie Storie riportate dall' Autore, e di diverſi altri Caſi ſteſigli con tutta l' ingenuità dal Sig. Giuſeppe Maria Speranza Protomedico nello Spedale di S. Spirito di Roma, nei quali appariſce, come l' Eſperienza ha fatto toccar con mano, che graviſſimi efflu-vj di Sangue agevolmente ſi ſono tolti coll' uſo dell' Acque annevate. Seppoi in altra erudita Diſſertazione il Sig. Gervasj farà com-

pari-

parire al Publico l'Uſo, che nella Medicina dee farſi dell' Acqua Calida, allora potremo dire, che sì per i Bagni eſterni, come per le Pozioni pettorali l'Arte è munita di nuovi ajuti.



6